DISSERTATIO
DE
MARTYRIO.

Quæ

SUB AUSPICIIS JESU CHRISTI,
FIDELIS MARTYRIS;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præſide

JOH. HENRICO HEIDEGGERO,
SS. Theol. D. & Prof. P.

Reſpondente

JOH. JACOBO HOTTINGERO, V.D.M.

Aſſumente

JOH. HULDRICO ESSLINGERO,
SS. Theol. Stud.

Piæ placidæq; συζητήσει, poſtridie Synodi Maji
H. L. Q. S. offertur.

TIGURI,
Typis Davidis Geſſneri,
M. DC. LXXVII.

I. S Johannes, Apoſtolus ille & Evangeliſta Chriſti, in Divina Apocalypſi Cap. VI. 9. 12. teſtatur, quòd quinto Sigillo myſtico ab Agno reſignato, *ſub Altari*, Chriſto videlicet, in quo ſolo Deus adoratur, (cap. VIII. 3. coll. cum Hebr. XIII. 10. 15.) animas mactatorum propter ſermonem Dei & teſtimonium, clamantes magna voce, & ſanguinis ſui ab incolis terræ profuſi vindictam expetentes, viderit. Additur, datas iis eſſe ſtolas albas, tum innocentiæ, cui in terra ſanguine ſuo perlitârunt, tum cœleſtis gloriæ beatorum omnium in luce verſantium, neque quidpiam atri ſentientium, indices: dictúmque adeò iis eſſe, quieſcerent modicum adhuc tempus, *ἕως οὗ πληρώσονται καὶ οἱ σύνδουλοι αὐτῶν, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι, ὡς καὶ αὐτοί, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui futurum eſt, ut occidantur, ſicut & ipſi.* Quæ verba portendunt, etiam poſt eventus eorum, quæ prioribus quinque ſigillis ab Agno reſeratis, Eccleſiæ prænunciata ſunt, adeóque tum noſtris etiam, tum volvendis adhuc temporibus, non defuturos eſſe pientiſſimos Martyres Chriſti, qui in theatrum dirúmque pegma producendi, deſtinatum numerum eorum, qui animam ſuam pro Chriſto in manibus poſituri, & ad mortem uſque decertaturi ſint, compleant.

Martyrum vociferatio ſub altari arguit, non defore pios Martyres extremis etiam temporibus.

II. Atque id ipſum etiam experientia teſtatur hodierni temporis, feraciſſimi piorum Martyrum, quorum flagrante horribili perſecutione, propter teſtimonium Jeſu, alii quidem ſive præſente ferali, ſive lenta etiam morte extincti ſunt: alii verò athletæ & *ἀγωνισαὶ* non minùs fortes, verbis utar Gregorii Nazianzeni *Orat. 20. μέχρι θανάτου ἠγωνίσαντο, καὶ περὶ θανάτου μικρὸν, τοσοῦτον ἀπολειφθέντες, ὅσον ἐπιβιῶναι τῇ νίκῃ, καὶ μὴ συναπελθεῖν τοῖς παλαίσμασιν, ἀλλ' ὑπολειφθῆναι τοῖς ἄλλοις, ἀλείπτας τῆς ἀρετῆς, ζῶντας μάρτυρας, ἐμπνόους στήλας, ad mortem uſque decertârunt, & pœne uſque ad mortem, hactenus inter vivos relicti, ut victoriæ ſuæ ſuperſtites eſſent, nec cum ipſis certaminibus ex hoc mundo diſcederent, quò ſic alios ad virtutis ſtudium, velut vivi martyres & ſpirantes columnæ, excitare queant.* Quorum cùm *περικείμενον νέφος circumfuſa nubes* ſingulari providentia Dei oculis hactenus noſtris obverſata ſit, & adhuc dum obverſetur, ſacris veluti ſtimulis conſtantiam nobis, & in adverſis, ſi Cœleſti quandoque

Id ipſum experientia hodierni temporis teſtatur.

Agonothetæ iis nos exercere conſtitutum eſſet, infractam patientiam inſigens; haud præter rem facturi videmur, ſi quod illi exemplo vivo efficaciſſimè nos docent, nos ſcriptione qualicunque utiliter repræſentare contenderimus.

Martyrii definitio.

III. Eſt autem, ut rem ipſam aggrediamur, Martyrium *paſſio voluntaria, qua fideles Chriſti ſervi Deo volente & moderante, ab ejusdem hoſtibus, Antichriſto inprimis, veritatis cœleſtis, quæ ſecundum pietatem eſt, illius maximè, quæ eſt de Chriſto Salvatore unico, cauſam dicere juſſi, eandem non tantùm cordatè & intrepidè ex Dei verbo confitentur, ſed etiam eidem cruciatibus acerbiſſimis, perſecutione tragica, ipſáque morte quantumvis crudeliſſima tolerata teſtimonium perhibent, vera fide & charitate, cum lætitia ſpirituali, gratiarúmq; actione, ad Dei Chriſtíque gloriam, lucrum & incrementum Eccleſiæ, propriámque ſalutem, hoc eſt, ſingularem exiſtimationem in mundo, & glorioſam vitam in Cœlo denique conſequendam.* Quam definitionem κτ̓ μέρη deinceps enucleandam ſuſcipimus.

Martyrii, Martyrum voces ἔγγραφοι ſunt.

IV. Paſſionibus igitur fidelium *μαρτυρίας teſtimonii* nomen ipſe Spiritus S. paſſim impartitur. Nam vel ſimpliciter vocat *μαρτυρίαν teſtimonium* Apoc. VI. 9. XI. 7. vel *λόγον τῆς μαρτυρίας ſermonem teſtimonii*, Apoc. XII. 11. vel *μαρτυρίαν τ̃ Ἰησοῦ teſtimonium Jeſu*, hoc eſt, de Jeſu Salvatore noſtro unico, Apoc. I. 2. 9. XII. 17. XIX. 10. XX. 4. Eos etiam, qui teſtimonium Chriſto paſſionibus ſuis reddunt, ſingulari notione Μάρτυρας *teſtes*, veluti S. Stephanum Act. XXII. 20. S. Patres Hebr. XII. 1. Antipam Apoc. II. 13. idem nuncupat. Quorum omnium Anteſignanus Jeſus Chriſtus *ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς, fidelis ille teſtis* Apoc. I. 5. III. 14. appellatur, quia tanquam magnus ille Propheta & Apoſtolus confeſſionis non tantùm, ut reliqui Prophetæ, in nomine Dei locutus eſt, ſed etiam verba Dei, quæ nemo niſi Deus loqui poterat, locutus eſt, Joh. III. 34. & *teſtatus, eſt quæ vidit & audivit*, ib. v. 32. effuſo tandem ſanguine teſtimonium ſuum confirmans. Unde à veteribus *κατ' ἐξοχὴν Martyr*, & à Gregorio Nazianzeno *Orat.* 18. *πρῶτος μάρτυς primus Martyr* inſignitus eſt. Cujus etiam reſpectu pii Martyres olim, Lugdunenſes inprimis & Viennenſes, non Μάρτυρες *Martyres*, ſed *ὁμολόγοι Confeſſores* tantùm vocari voluerunt, uti ex eorundem fidelium Lugdunenſium Epiſtola apud Euſebium *Hiſtor Eccleſ. lib. V.* 21. liquet.

Martyrii ſuccincta definitio.

V. Paucis etiam Spiritus S. veros Martyres, quos, uti S. Auguſtinus *de Civ. D. lib. X.* 21. loquitur, *eloquentiùs, ſi Eccleſiaſtica*

loquen-

loquendi conſuetudo pateretur, Heroas noſtros vocaremus; ita definit: quòd ſint illi, *qui propter Chriſtum occiduntur, & reputantur tanquam oves mactationi deſtinatæ*, Pſal. XLVI. 23. Rom. VIII. 36. qui *propter juſtitiam perſecutionem patiuntur*, Matth. V. 10. *qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt ſtolas ſuas & dealbârunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, Apoc. VII. 14. hoc eſt, qui magnis tribulationibus vexati, non ſuam, ſed Chriſti juſtitiam aſſeruerunt, ut ſolo unicóque ejus merito confiſi coram Deo comparerent: qui *vicerunt per ſanguinem Agni, & per verbum teſtimonii*, καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου, *& non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem*, ib. cap. XII. 11. qui *mactati ſunt propter ſermonem Dei*, (ſeu confeſſionem fidei verbi Dei, cujus ſolius authoritati ſe ſubjecerunt) *& propter teſtimonium, quod habebant*, (quod in ſermone Dei continetur, & ex quo illud hauſerant didicerántque unico) ib. cap. VI. 9. denique qui ſunt πεπελεκισμένοι διὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ, καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *ſecuri percuſſi* (aliíſve modis è medio ſublati) *propter teſtimonium Jeſu, & propter ſermonem Dei*, ib. cap. XX. 4.

nes ex S. Literis depromuntur.

VI. Sed & ſtrictas ejusmodi Martyrii, Martyrúmque circumſcriptiones paſſim S. Patres prodidere. Ita Euſebius *Præfat. in Hiſtor. Eccleſ.* Martyres definit eos, qui τὸν δι' αἵματος καὶ βασάνων ὑπὲρ θεοῦ λόγου διεξῆλθον ἀγῶνα, *certamen ſubierunt per ſanguinem & varios cruciatus pro Dei verbo.* Origenes *Tract. 21. in Matthæum* ſic deſcribit: *Martyres ſunt, qui usque ad mortem certant pro veritate, & confitentur coram hominibus Jeſum.* Conſtitut. Apoſtolic. *lib. V. 9* verus Martyr ita finitur: Ὁ ἐν μαρτυρίῳ ἐξελθὼν ἀψευδῶς ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, οὗτος ἀληθινὸς μάρτυς ἀξιόπιστος, ἐν οἷς συνηγωνίσατο τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας διὰ τοῦ οἰκείου αἵματος, *qui per Martyrium pro veritate ſine omni fallacia vitam finit, hic verus Martyr fide dignus, quia pro verbo veritatis proprio ſanguine effuſo decertavit.* Neque multò aliter eos deſcribit etiam Ammianus Marcellinus *lib. XXII.* quòd videlicet ſint illi, *qui deviare à religione compulſi, pertulere cruciabiles pœnas, adusque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi.*

Nec non ex S. Patribus.

VII. Obſervatum quinetiam eruditis, Doctiſſimo inprimis Valeſio *Not. ad Euſeb. Hiſtor. Eccl. lib. VI. 32.* ex Menologiis Græcorum, quinque Martyrum genera à S. Patribus celebrari. Primum eſt πρωτομαρτύρων *Protomartyrum*, quos faciunt B. Stephanum, & Theclam. Nam ut inter viros primus Stephanus, ſic prima inter fœminas Thecla Martyrio coronata creditur. Secundum Ἱερομαρτύρων, *Sa-*

Quinque genera Martyrum à S. Patribus celebrata.

crorum Martyrum, eorum videlicet, qui ſacris initiati ordinibus, inprimis apice Epiſcopali decorati, Martyrium ſubibant. Tertium Μεγαλομαρτύρων, eorum, qui civilis gradus dignitate eminentes, *Magnates* inprimis, pro Chriſto cruciatus mortémque ipſam ſuſtinebant. Quartum καλλιμαρτύρων *pulchrorum*, ſeu *pulchrarum Martyrum*, virginum videlicet ex utroque ſexu Martyrii corona potientium. Quintum denique Ἁγιομαρτύρων *Sanctorum Martyrum*, eorum, qui ex promiſcua multitudine Martyrii palmam occupabant. Quorum omnium ducem Chriſtum abſolutè Μέγαν, & πρῶτον Μάρτυρα *Magnum* & *primum*, uti diximus, *Martyrem* inſigniverunt.

Martyrum & Confeſſorum diſcrimen ex S. Patribus oſtenditur.

VIII. Martyres quoque à Confeſſoribus aliquando vetuſtas diſtinxit. Differentiam ex veterum ſententia Doctiſſ. Albaſpinæus *Obſervat. lib.* 1. *Obſ.* 21. his verbis pandit: *Confeſſoris & Martyris nomina, & gloriam merebantur, qui in tuenda fide & religione Chriſtiana pœnam aliquam ſubierant: etſi Martyres ii ſolùm verè ſint exiſtimandi, qui morte aut aliqua leviori pœna mulctati: Confeſſores verò, qui ante Magiſtratum conſtituti, nomen fidémque Chriſti conſtanter & impavidè profeſſi fuiſſent.* Eos igitur Confeſſores, qui propter Chriſtum multa graviáque paſſi ſunt, noviſſima etiam ſubire parati, etſi mortem ipſam non ſubiverunt, Martyres tamen pia Antiquitas jure meritóque appellavit. Chryſoſtomus *in Pſal. XCVI.* Τὸ Μαρτύριον οὐ τῇ ἀποβάσει κρίνεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ προθέσει. οὐκ ἐπειδὰν ἀποτμηθῇ ὁ Μάρτυς, τότε γίνεται μάρτυς, ἀλλ' ἀφ' οὗ ἂν τὴν πρόθεσιν ἐπιδείξηται τῆς ὁμολογίας, μάρτυς ἐστὶ, κἂν μὴ πάθῃ τὰ μάρτυρος. *Martyrium non tantùm judicatur ex eventu, ſed etiam ex propoſito. Non ſi truncatur Martyr, tum fit Martyr, ſed ex quo propoſitum confeſſionis demonſtravit, Martyr eſt, etiamſi Martyris tormenta non ſuſtineat.* Ita Sadrach, Meſach & Abednego, etſi mortem non ſuſtinuerint, veri tamen & Confeſſores & Martyres fuerunt. Tales etiam *Martyres deſignatos* Tertullianus *ad Martyres* initiò: & Μάρτυρας προαιρέσει *Martyres propoſito & voluntate* Patriarcha Conſtantinopolitanus in Concilio Florent. *Sect.* 3. *cap.* 16. nec non ζῶντας Μάρτυρας *vivos Martyres* Gregorius Nazianzenus *Orat.* 20. inſigniunt. Qua de re plura inferiùs. Confeſſorem autem appellatum etiam eum, qui ſemel coram Magiſtratibus Chriſtum confeſſus eſt, Victor Uticenſis ſub finem *lib.* 1. *Perſecutionis Vandalicæ* clarè docet. Ergo qui pro Chriſto mortem ipſam, vel ſæva quæque paſſi ſunt, promiſcuè *Confeſſores* & *Martyres*: qui verò coram Judice Chriſtum im-

impavidè confeſſi ſunt, dubiam periculi aleam ſubeuntes, *Confeſſores* tantùm dicti ſunt. Alias etiam, at minùs ad inſtitutum facientes *Martyris* & *Martyrii* apud veteres notiones Doctiſſ. Forbeſius *Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. lib. XII.* 2. ubi de *multiplici Martyrio* agit; & poſt ipſum Celeb. Schvvizerus, Collega unicè obſervandus, in *Theſauro Eccleſiaſtico* diffuſæ eruditionis, magníque uſus opere, hactenus non ſine rei literariæ damno ἀνεκδότῳ, in voce Μάρτυρ, explicatas dederunt.

IX. Verbum Dei, inprimis ſaluberrimum illud de Jeſu Chriſto Salvatore unico, per ſe equidem humano Martyrio teſtimonióque non indiget. Nam πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *fidelis eſt ſermo, omníque receptione dignus, quòd Chriſtus Jeſus venerit in mundum, ut peccatores ſalvet*, 1. Tim. I. 15. Nullam enim anſam ſermo hic præbet dubitationi, éſtque lux conſcientiæ omni ſe patefaciens, λόγος ζῶν καὶ ἐνεργὴς, *verbum vivum & efficax*, Hebr. IV. 12. ut proin ad fidem faciendam ſuæ Divinitatis & præſtantiæ humano teſtimonio opus non habeat. Unde Chriſtus humanum teſtimonium rejicit Joh. V. 34. *Ego ab homine* τὴν μαρτυρίαν *teſtimonium non accipio.* Ratio ejus rei manifeſta, quia fides ferri debet in Deum, ſive in eum, qui Divinam authoritatem habet, quæ à credentibus agnoſci poteſt. Quis autem ille mortalis, qui verbo & teſtimonio ſuo ipſi Deo, ejúſque verbo fidem authoritatémque conciliare ſatagat? Sicut nempe Sol agnoſcitur ab eo, qui viſu pollet, neque ad id teſtimonium humanum requiritur: ita Sol juſtitiæ ab omnibus illis, qui ſpirituali viſu non deſtituuntur, ſine alieno teſtimonio apprehenditur. Si igitur ante adventum Chriſti vel maximè nullus homo de juſtitia Dei & Salute locutus teſtatúſque eſſet, & Chriſtus apparuiſſet ultima ætate, ita ut apparuit; tamen pro Filio Dei unigenito & Salvatore mundi recipiendus fuiſſet, quia tanquam φῶς ἀνθρώπων *lux hominum* ea de Deo, ejus virtutibus ac gloria, ea de ſe, ea de nobis dixit, quæ Deo ſunt digna & glorioſa, quæque non niſi ab unigenito Dei Filio dici poterant; & præterea conſcientiam teſtem habent, efficaciſſimáque ſunt ad amorem Dei efficiendum, & cor hominis omni lætitia implendum.

Humano teſtimonio verbum Dei, Evangelicum inprimis, per ſe non indiget,

X. Nihilominus non tantùm is, qui per fidem teſtimonium Chriſti recipit, ἐσφράγισεν, ὅτι ὁ θεὸς ἀληθής ἐστι, *obſignavit, quòd Deus verus ſit*, Joh. III. 33. hoc eſt, in corde ſuo per Spiritum S. velut ſigillo quodam obſignatum habet, Deum eſſe veracem, fidelem & beni-

Nihilominus officium fidelium eſt, ei etiam, ſi caſus ferat,

proprio ſanguine atteſtari.

benignum, quippe qui præſtito nobis Filio, omnia ea præſtiterit, quæ olim in Prophetis promiſit: ſed etiam cuilibet fideli graviter incumbit, ut cœleſti veritati conſtanter adhæreat, eámque coram illis inprimis, qui eam odio habent, acritérque infeſtant, non abneget, ſed *μέχρι αἵματος ad ſanguinem uſque* teſtificetur, confiteatúrque ſtrenuè. Unde teſtificationi confeſſioníque tali præmium ampliſſimum, abnegationi verò oppoſitæ pœnam præſentiſſimam decernit Chriſtus his verbis: *Quiſquis me confeſſus fuerit coram hominibus, hunc quoque confitebor coram Patre meo, qui eſt in cœlis. Et qui me abnegaverit coram hominibus, hunc quoque abnegabo coram Patre meo, qui eſt in Cœlis,* Matth. X. 32. 33.

Martyrium exigit amor Dei & proximi.

XI. Teſtimonium igitur, quod paſſionibus humanis cœleſti veritati de Jeſu Chriſto Salvatore noſtro redditur, quamvis ipſi verbo Dei, utpote ἀξιοπίστῳ fidem authoritatémque non conciliat, cùm, uti præclarè Cyprianus Ep. lib. III. 4. loquitur, *Martyres non faciant Evangelium, ſed per Evangelium fiant:* neceſſarium tamen eſt, ob neceſſitatem amoris tum Dei, tum proximi. Et *amor* quidem *Dei* exigit, ut ipſum diligamus ſuper omnia, ex toto pectore, tota anima, viriúmque omnium contentione maxima. Proinde nec vita hominis, nec chariſſima quæque, nec fortunæ omnes tanti eſſe vel poſſunt, vel debent, ut propter ea homo Deum abnegare, non confiteri ingenuè, adeóque ab amore ejus, qui fidem in ipſum, fideíque confeſſionem coram hominibus, inprimis verò hoſtibus Dei poſtulat, deficere auſit. Ea igitur, ſi neceſſitas urgeat, jactare ultrò, præſentíque periculo exponere, amore Dei conſtringente, dubitabit omnino nullus, quin potiùs lucro certiſſimo deputabit, dicens cum S. Paulo: *Certè duco omnia ζημίαν εἶναι damnum eſſe διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως propter eminentiam cognitionis Chriſti Jeſu Domini mei, propter quem omnium iſtorum jacturam feci, eáque pro ſtercoribus duco, dum Chriſtum lucrifaciam*, Phil III. 8. Qui ita propter Chriſtum & veritatem patitur, & caducæ hujus fluxæque vitæ, bonorúmque temporalium uſurâ ſe defraudari ſinit, is fidem minimè dubiam facit, ſe Chriſtum & veritatem amare, & de ea neutiquam ambigere, nec quærere bonum terreſtre, vel hominum gratiam ſublæſtam ut plurimùm infidámque aucupari, adeóque vera bona tanti facere, ut amittendorum eorum metu vitæ hujus damna penſi moderatique non habeat. Sed & *amor proximi* requirit, ne quis pro ipſo lucrifaciendo & ad ſalutem æternam ædificando, occaſione

ita

ita flagitante, acerba pati, aut etiam mori defugiat. Unde S. Paulus 2. Cor. XII. 15. *Ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι, ego verò libentiſſimè impendam & ſuperimpendar pro animabus veſtris, licèt maximè vos diligens, minùs diligar à vobis.*

Iohannes Baptiſta teſtimonium veritati perhibens non lux ipſa, ſed lucerna fuit.

XII. Hactenùs igitur tam neceſſarium, tam rectum piúmque eſt Martyrium, ſeu teſtimonium de Chriſto & cœleſti veritate *παθητικὸν*, quàm ipſe Dei & proximi amor, ad quem lex omnéſque prophetæ aurigantur, neceſſarius eſt. Unde Johannes Baptiſta, proteſtante licet Chriſto, quòd ab hominibus teſtimonium non accipiat, tamen *μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ teſtimonium perhibuit veritati.* Joh. V. 33. Non quòd eo indigeret Chriſtus, ſed propter ſalutem Judæorum, ut cogitarent ipſi, tantum virum non fuiſſe teſtimonium perhibiturum niſi ex certa ſcientia, adeóque anſam illum præbere apprehendendæ veritatis æternæque ſalutis. Et mox v. 35. eundem Johannem vocat *λύχνον καιόμενον καὶ φαίνοντα lucernam ardentem & lucentem*, in cujus *luce* Judæi exultare voluerint. Sic ergo veritati teſtimonium perhibuit, ut interim lucerna fuerit, omne lumen ſuum à vera luce Chriſto & verbo ejus mutuatus, & quidem *ardens*, hoc eſt, ſingulari gloriæ Dei Zelo indutus, totóque vitæ tempore *lucens*, donec veritatis Zelo devoraretur ac conſumeretur. Lucernæ igitur non ipſa lux ſunt cùm omnes fideles, tum Martyres inprimis, qui tanquam *φωστῆρες luminaria* in mundo lucent, & tum doctrina, tum vita, tum paſſionibus *λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, ſermonem vitæ praeferunt*, eóque ferè modo, quo pertica aquilam vel vexillum, ſuſtinent, Phil. II 15. 16. donec tandem amoris Divini Zelíque ardore, tribulationúmque ſacro veluti igne conſumantur.

Martyrii neceſſitas ulteriùs demonſtratur.

XIII. Martyrii neceſſitatem ampliùs etiam commendat Chriſtus Matth. XVI. 24. 25. *Si quis poſt me venire vult, abneget ſe ipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Quisquis enim ſervare vult animam ſuam, perdet illam. Et quisquis perdiderit animam ſuam propter me, inveniet illam. Quid enim homini proderit, ſi totum mundum lucratus fuerit, anima autem ſua damnum paſſus fuerit? Aut quod ἀντάλλαγμα, quam compenſationem quisquam dabit pro anima ſua?* Non tantùm igitur quisque abnegare ſe ipſum, & crucem Chriſti ſuámque tollere, ſed etiam propter Chriſtum vera fide retinendum, confitendum, amandum, glorificandum animam, hoc eſt, vitam ſuam periculo exponere, perdere tenetur, non alia ratione ſcilicet eandem lucraturus. Sic nempe *Martyrium morte*

vitam condemnat, ut morte vitam cuſtodiat, uti ſcitè Cyprianus *de laude Martyrii* loquitur. Deinde S.Paulus non tantùm *τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν* ut fideles *in ipſum* (Chriſtum) *credant*: ſed etiam *τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν ut pro ipſo patiantur*, requirit Phil.I.29. Chriſtus quoque Matth.X.32.33. alibíque detrectationem Confeſſionis, adeóque etiam Martyrii, ſui abnegationem diſertê interpretatur. Sed & conformitatis fidelium cum Chriſto capite etiam in paſſionibus, qualescunq; eas Chriſto crucis diribitori imponere lubet, neceſſitas paſſim gravitérque inculcatur. Ita S. Paulus Rom.VIII.17. *Cohæredes Chriſti, εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν. Si compatimur, ut etiam conglorificemur.* Qua ratione non tantùm efficiuntur fideles *σύμμορφοι τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ conformes imagini Filii* Dei, ib. v.29. ſed etiam *ἀνταναπληροῦσι τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί, viciſſim* (hoc eſt, ut Chriſto pro iis morienti gratum animum, ſuo quisque modo & modulo, præſtent, adeóque vicem rependant) *adimplent reliquias paſſionum Chriſti*, (portionem paſſionum membris Chriſti, ut cum ipſo conformentur, adeóque ipſi Chriſto in membris ſuis patienti, ex Dei voluntate convenientem) *in carne ſua, pro corpore Chriſti, hoc eſt, Eccleſia* (ædificanda & patientiæ exemplo corroboranda) Col.I.24. Quam gratitudinem Chriſto per paſſiones referendam idem Phil.II.17.2. Tim.IV.6. vocat *σπονδὴν*, *libamen*. Sacrificiis olim Leviticis affundi debuit נסך *libamen* vini. Typus id fuit paſſionum & martyrii fidelium, quod tanquam teſtimonium fidei & lætitiæ Spiritûs unico & conſummato ſacrificio Chriſti affundi debet. Atque ita ſicut Chriſtus Patri ſuo factus eſt obnoxius uſque ad mortem crucis: ſic etiam fidelium, qui ſunt in Chriſto, ejúſque *σύσσωμοι concorpores*, partes ſunt, peccata, adeóque infidelitati, abnegationi Dei reſiſtere *μέχρι αἵματος, usque ad ſanguinem*, Phil.II.8. Hebr.XII.4. Accedit, quòd fideles in ipſo Baptiſmo Chriſto *στρατολογήσαντι exercitum colligenti* Sacramento dixerunt, ut ſub ejus ſignis contra Sathanam, carnem & Antichriſtum militent. Sicut igitur militis lex eſt, ut pro duce & patria ipſam etiam mortem violentam, ſi ita caſus ferat, oppetat: ita multò magis Chriſtiani militis officium requirit, ut caſu ingruente pro Chriſto Duce & cœleſti patria mortem quamvis exquiſitam & acerbam, quæ ipſa tamen non eſt niſi depoſitio luctæ cum carne, & introitus ad Dominum, non detractet. Hinc Paulus 2.Tim.II.3. *Tu igitur κακοπάθησον, ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ, ſuſcipe moleſtias, ut bonus miles Jeſu Chri-*
ſti.

ſti. Denique neceſſitatem martyrii, eadem, quæ confeſſionis ipſius, propter quam paſſiones ſuſcipiuntur, & quæ quandóque ſine paſſionibus conſtanter retineri nequit, neceſſitatem, teſtimonia Rom. X.10. 1.Pet.III.15. & argumenta varia adſtruunt.

XIV. Meritò igitur Eccleſia veteres novósque hæreticos, martyria ſubeunda eſſe negantes, vel facto ipſo martyria detrectantes, deteſtatur atque damnat. Et de Simone quidem Mago Tertullianus *de Præſcript. cap.46.* de Corpiano Optatus Milevitanus *lib. 4. contra Parmenianum:* de Helceſaitis Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib.VI.* 31. Epiphanius *hæreſi* 19. Auguſtinus *hær.* 10. teſtantur, eos prorſus Martyrii neceſſitatem negâſſe, & perſecutionis tempore ipſorum etiam idolorum cultum potiùs, quàm cruciatuum & mortis perpeſſionem ſuaſiſſe. De Baſilide ita Epiphanius *hær.*24. Διδάσκει, μὴ δεῖν μαρτυρεῖν. Ὁ γὰρ μαρτυρῶν ἄμισθος εὑρεθήσεται, ὁ μαρτυρῶν ὑπὲρ πεποιηκότος τὸν ἄνθρωπον. Μαρτυρεῖ γὰρ ὑπὲρ ἐσταυρωμένου Σίμωνος. *Docet, Martyrium non eſſe ſubeundum. Qui enim Martyrium ſubit, nullam habebit mercedem, quia Martyrium non ſubit pro eo, qui fecit Cœlum & terram. Subit enim Martyrium pro Simone crucifixo.* Clemens Alexandrinus *Strom. lib.IV.* ſcribit, hæreticos quosdam (Gnoſticos & Valentinianos indigetat) docuiſſe, φονέα εἶναι αὐτὸν ἑαυτοῦ, καὶ αὐθέντην, τὸν διὰ θανάτου ὁμολογήσαντα, *eum eſſe ſui occiſorem & ſibi mortem conſciſcere, qui per mortem fuerit confeſſus.* Apud Lactantium quoque *lib.V.*13. Chriſtianos *ſtultos eſſe arbitrantur, qui cùm habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt.* Sed & mendaciis, æquivocationibus & mentalibus reſervationibus Martyria eludere fas eſſe, non tantùm olim Priſcillianiſtæ, Valentiniani, Meſſaliani, Rhetoriani, omnium hæreſium laudatores, uti de omnibus illis Forbeſius *Inſtruct. Hiſtorico-Theolog. lib.III.*20:38. comprobat, aſſeruerunt: ſed hodiéque etiam non obſcurè Jeſuitæ, juxta Scioppianium illud *lingua duplici more ſerpentum qualibet in re non loqui duntaxat, ſed jurare etiam* tum aſſueti ipſi, tum docentes alios, pertendunt. De quibus omnibus, ut & illis, qui cruciatuum metu, & σαρκὸς πρόνοιαν ποιοῦντες εἰς ἐπιθυμίας, *carni proſpicientes in cupiditates,* (Rom.XIII. 14.) adeóque concupiſcentiis ſuis lenocinantes, & commeatum quærentes, Martyria defugiunt, ſententiam dixit Chriſtus Matth.VIII.33. *Quisquis me abnegaverit coram hominibus, eum ego quoque abnegabo coram Patre meo, qui eſt in Cœlis:* & Apoc. XXI.7.8. *Qui vincit, hæres erit omnium, & ero ei Deus, & ipſe mihi*

Elenchus hæreticorum veterum, Martyrium oppugnantium.

 erit

erit Filius. Δειλοῖς καὶ ἀπίστοις, &c. καὶ πᾶσι τοῖς ψευδέσι, *Timidis autem, & infidelibus, & omnibus mendacibus pars erit in ſtagno ardenti ſulphure & igne quæ ſecunda mors eſt.*

Martyrium piam cautionem requirit.

XV. Sicut tamen in Confeſſione edenda, ita etiam in Martyrio ſubeundo pia cautione & prudentia quàm maximè opus eſt. Tametſi enim omnes fideles habere debent νοῦν εὖ διακείμενον *mentem rectè diſpoſitam*, præparatam, atque ita inſtitutam, ut quolibet momento pro Chriſto, ſi res poſtulaverit, promptè libentérque pati non graventur, adeóq; ἕτοιμοι *parati ſint ſemper ad reſpondendum cuilibet petenti rationem ejus ſpei, quæ in ipſis eſt*, 1. Pet. III. 15. quoad ipſum tamen externum confeſſionis Martyriíque actum pietatis eſt, Divinam ad illum vocationem operiri, prudentiæ verò, eandem diſpicere & cognoſcere.

Simplicitas columbina, & prudentia ſerpentina in Martyrio.

XVI. Et Chriſtus quidem Matth. X. 16. diſcipulis ſuis, tanquam ovibus inter medios lupos amandatis, hanc regulam figit: Γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. *Eſtote igitur prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* Si alibi igitur, hîc certè τῇ περιστερᾷ μιγνύειν ὄφιν, columbinæ ſimplicitati ſerpentinam prudentiam miſcere oportet. Sicut nempe columbæ ſimplicitas & integritas ἀκίβδηλος non fucata & corrupta in eo conſiſtit, ut uni conjugi illibata fide adhæreſcat: ita fidelium quoque ſimplicitas & rectitudo in eo vertitur, ut unum Dominum, Servatorem, Regem, caput, Chriſtum videlicet in complexu habeant, neque ab eo & verbo ejus ſe divelli ulla ratione patiantur. Sicut etiam ſerpentum prudentia in eo conſpicua eſt, quòd haud temerè nocituros provocânt & lædunt, ſed pericula circumſpiciunt accuratè & obſervant, eáque, inprimis cùm capiti inſidiantur, gnaviter ſtudioséque evitant: ſic etiam fideles in periculis declinandis cautionem prudentiámque ſimilem adhibent, tanquam ערומים *prudentes vident malum, & occultantur*, uti Sapiens Prov. XXII. 3. loquitur; adeóque humiliter ſe gerunt, hominum injurias capiti ſuo temerè haud inconciliant, denique dicendis faciendíſque iis, quæ malevolorum odium propria quadam culpa concitant, religiosè ſemper abſtinent.

Chriſti exemplum & præceptum de fuga in perſecutionibus.

XVII. Sanè Chriſtus ipſe, etſi ſerpentis caput contriturus in mundum venit, haud temerè tamen ſe periculis objecit, occultavit ſe aliquando, tacuit ſæpius, & ſacrum etiam ſilentium aliis imperavit, denique confeſſione quandoque abſtinerent, injunxit, uti loca Matth.

Matth.IX.30.31.XII.15.XIV.13.Joh.VIII.59.X.30.XI.54. expendenti liquet.Ipſam quinetiam fugam ex una civitate in aliam, perſecutione flagrante,Chriſtus ſuaſit Matth.X.23. *Cùm verò perſecuti vos fuerint in hac urbe,fugite in aliam.* Quod mandatum non ſolos Apoſtolos,eorum videlicet *perſonas,tempora & cauſas*,uti Tertullianus *lib.de fuga in perſecut.cap.6.* præpoſterè pertendit,ſpectat,ſed in caſu perpetuum & commune eſt omnibus fidelibus, cùm nuſpiam legatur revocatum vel abrogatum,ſicut duo ſequentia, quæ Tertullianus ibidem urget,de viis gentium & urbibus Samaritanorum non ingrediendis. Quòd ſi abrogatum eſt præceptum illud,quia duobus illis conjunctum; ſequetur abrogata ſimiliter eſſe cœtera, quæ præcedunt & ſequuntur. Sed & obſervatio præcepti illius etiam poſt Chriſti in Cœlum aſcenſionem, perpetuum ejusdem vigorem manifeſtè ſatis arguit.

XVIII. Non diffitemur equidem,certis in caſibus fugam, perſecutione ſæviente,prorſus nefariam & illicitam eſſe. Sic enim Chriſti ſententiâ, qui lupo conſpecto oves deſerens fugit, *μισθωτὸς ἐ ποιμὴν, mercenarius non paſtor eſt*, Joh.X.12. Unde conficitur, Paſtori vocato Eccleſiam periclitantem & luporum inſidiis appetitam,fugiendo deſerere nefas eſſe. Sempérque damnari meritò ſunt mercenarii,qui perſecutione ingruente,nulla gloriæ Dei,nulla ædificationis Eccleſiæ habita ratione, ut vitæ modò ſuæ fortunísque conſulant,ſe ripſaſpides præbent, turpémq; in fugam conjiciunt, *in pace leones,in bello cervi*, uti Therſitas tales Tertullianus *lib. de Coron.Mil.* meritò inſignit. Aliter tamen judicandum etiam,ſi vel perſecutio non Eccleſiæ, ſed Paſtori ſoli incumbat, qualis fuit illa Uriæ à furibundo Jojakimo, cujus timore in Ægyptum is ſeceſſit, Jerem.XXVI.21. nec non Paulo Damaſco fugienti,& B. Athanaſio Alexandriâ profugo intentata: vel plures præſtò ſint,qui uno præ cœteris quæſito, ſingularéſque ob cauſas,Eccleſia conſentiente & inſtigante, fugiente, periclitanti Eccleſiæ validè ſatis ſuccurrere poſſint; quo pacto adeò nihil Eccleſiæ miniſterio decedit, ut ei potiùs proſpiciatur etiam in futurum: vel denique tota Eccleſia migrêt aut diſſipetur. Qui etiam ſive in Oeconomia, ſive in Politia aliis ſingulari vinculo obſtricti ſunt,uti quidem liberi Parentibus, maritus uxori,ſubditi Magiſtratibus,& hi viciſſim illis Divino quodam nexu devincti ſunt, illos ſine mutuo conſenſu invicem fugiendo deſerere neutiquam poſſe,in propatulo eſt. Denique fuga

Fuga in perſecutionibus certis caſibus prorſus illicita eſt, aliis verò etiam licita.

qualiſcunque temporalis duntaxat quietis & commodorum fruendorum gratia, vel animo Chriſtum confiteri erubeſcente ſuſcepta ſemper deteſtabilis eſt. At ſublatis ejusmodi impedimentis, ſimilibúſque caſibus, fugam tempore perſecutionis, ſi gloriam Dei alibi etiam locorum promovendam, ædificationem aliorum, & ſui ipſius à lapſu conſervationem, ampliorémque confirmationem ſpectet, legitimæque ſe offerant fugiendi occaſiones, adornare fas piúmque eſſe, nunquam non ritè Eccleſia credidit, docuítque.

Martyrum fuga in perſecutionibus exemplo Sanctorum, nec non Chriſti præcepto & exemplo nititur.

XIX. Sic igitur etiam B. Martyres *in perſecutionum procellis fugam ceperunt, & in locis abditis delituerunt: ſed tamen cùm erant reperti, certamen Martyrii libenter obierunt*, uti B. Athanaſius *in Apologet.* loquitur. Nobile exemplum præbet Polycarpus, *Μάρτυς ἔξοχ@·ſummus Martyr*, uti Smyrnæi in Epiſtola ad Eccleſias Ponti ſcripta appellant. Is enim, iisdem apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. lib. IV.* 15. teſtibus, perſecutores fugit, exemplo Chriſti expectans, donec traderetur. Secuti in eo ſunt S. Martyres exemplum *Eliæ*, qui ſe propter odium Acchabi occultavit, & propter minas Jezabelis fugam cepit: nec non *filiorum Prophetarum*, in ſpeluncis, Abdiæ ſubſidio latitantium, 1. Reg. XVII. 3. 5. 9. XVIII. 4. XIX. 3. & fidelium omnium *Jeroſolymitanorum*, ipſorúmque *Apoſtolorum*, Act. VIII. 1. *S. Pauli* inprimis, de quo ita S. Auguſtinus *Tract.* 46. *in Joh.* loquitur: *Vidi in Epiſtola* (2. Cor. XI. 32. 33.) *fugientem Paulum. Per murum in ſporta ſubmiſſus eſt, ut manus perſecutoris evaderet. Non ergo cura ipſi fuit de ovibus, quas lupo veniente deſerebat? Fugit planè. Sed eas Paſtori in Cœlis ſedenti orationibus commendabat, ſe autem utilitati earum fugiendo ſervabat.* Præ cœteris autem Chriſtus ipſe tum præcepto, uti vidimus, fugam Apoſtolis ſuaſit: tum exemplo eandem approbavit, cùm quæſitus ab hoſtibus ſe noſtro more occultavit, & rurſus, cùm illum hoſtes perſequerentur, fugere, inſidiáſque declinare dedignatus non eſt, Matth. XII. 15. Hac etiam de re ſapienter ita Theophylactus *in Matth. cap.* 10. loquitur: *Chriſtus jubet fugere eum, qui perſecutionem patitur. Et verò temerè ſe in pericula conjicere, & authorem fieri condemnationis homicidis: & damno etiam iis, quibus per perdurationem prodeſſe poterat, Diabolicum eſt.*

Temeritas Circumcellionum, aliorúmque pericu-

XX. Nec piè igitur, nec prudenter facere cenſendi ſunt, qui non expectato Dei nutu & vocatione ipſimet ſine ulla neceſſitate, ambitione aliíſque pravis affectibus conſultoribus, ad ſupplicia provolant. Quorum in numero, olim fuerunt Circumcelliones,

nes,ſeu *Circumitores*, genus hominum agreſte & famoſiſſimæ audaciæ,qui non in alios ſolùm immania facinora patrabant,ſed etiam Martyrii cupiditate obvios ad cædem ſui impellebant, vel ex altorum montium cacuminibus in flumina etiam ac ignes ſe præcipitabant, à ſectatoribus ſuis, priùs quàm tale Martyrium ſubibant, omni ciborum genere, animalium inſtar ſacrificio deſtinatorum, ſaginati: aliíque ῥιψοκίνδυνοι, cœco potiùs & temerario impetu, quàm recto pióque animi conſilio, juſtáque προαιρέσει, Martyria depoſcentes. Meritò quinetiam Tertullianus *à piis atro calculo notari meruit, propter neceſſitatem Martyrii, quam ferventiùs quàm cautiùs adſtruebat*, uti de eo B. Rhenanus *ad lib. de Fuga in Perſecut.* judicat. Nempe is, uti erat aſperioris ingenii, & tum montanæ vitæ, ſtrictiorísque diſciplinæ, tum Montaniſtarum ſectator, quadam ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς provectus, contra Valentinianos Martyrii neceſſitatem prorſus eludentes, ita neceſſitatem illius aſſeruit, ut fugam in perſecutione omnem, nec non *redemptionem*, ſeu ſolutionem pecuniæ pro impetranda pace & immunitate à perſecutionibus damnaverit planè immeritò. Argumenta ejus in *Notis* ad librum illum Doctiſſ. Pammelius refutat. De redemptione etiam, quo caſu licita ſit, diſputantem Cel. Voetium *Polit. Eccl.III.p.106.* videre licet.

Ia provocantium.

Tertulliani error.

XXI. Nihil equidem derogatum hic volumus iis, qui peculiari quodam heroici Spiritus, qui ſibi legem metámque figi haud patitur, inſtinctu ſe ſubinde ultrò perſecutoribus obtulerunt, *multóque avidiùs Martyria glorioſis mortibus quæſiverunt, quàm nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*, uti jam olim Sulpitius Severus *lib.2.* locutus eſt; conſtantiæ & abundantis Zeli ſui fidem toti mundo ita facturi. Quorum exempla Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. lib. VII.12.VIII.9.13.19.* Ruffinus *lib.II.5.* Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ.lib.IV.16.* Prudentius in *Eulalia*, aliíque, ut & recentiora Martyrologia, non contemnenda commemorant. Tantáque olim quorundam promptitudo fuit, ut authore Tertulliano *ad Scapulam cap.5.* Arrius Chriſtianis ſub Adriano Imp. diceret: *O miſeroi! nónne laqueos, & præcipitia ipſi habetis?* Cœterùm exempla talia admiranda potiùs, quàm promiſcuè temeréque imitanda cenſemus. Non enim, ſi ſingularis ejusmodi Spiritus S. impulſus, vicem fungens vocationis deſit, fideles infirmitatis ſuæ ſibi conſcii, ſuo jumento mala ſibi accerſunt: neque quisquam ſibi ipſi Agonothetes eſt, ſed Deus agonem decernit, & ad eum certis indiciis vocat trahítque. Unde S. Petrus

Heroica Martyrum quorundam promptitudo admiranda potiùs quam imitanda.

Vocationis Divinæ ad Martyrium neceſſitas.

1.Epiſt.

1.Ep. cap. II. 21. Εἰς τῦτο γὰρ ἐκλήθητε, *ad hoc enim vocati eſtis*, ut videlicet toleretis ἀγαθοποιῦντες *benefacientes*(v.20.) Et S.Paulus Hebr.XII.1. τρέχωμεν δι' ὑπομονῆς τὸν προκείμενον ὑμῖν ἀγῶνα. *Per patientiam decurramus propoſitum vobis*(à Deo videlicet)*agonem*.Sicut in aliis, ita hîc maximè Deus eſt ὁ Θεὸς μέτρε, *Deus menſura*, qui ut in vita omni, ſic etiam in decretoriis pro Chriſto certaminibus μερίζεται μέτρον τῦ κανόνος, *admetitur cuique menſuram canonis* paſſionum, juxta menſuram videlicet tum vocationis, tum doni, ſecundum quod ἐχαρίσθη *gratis datum eſt*, *non tantùm in Chriſtum credere, ſed etiam pro ipſo pati*, 2.Cor.X.13. Phil.I.29. Unde Chriſtus S.Paulo converſo ἀπέδειξε *oſtendit*, *quantum debeat pro nomine ſuo pati*, Act.IX.16. Qui verò citra neceſſitatem & compertam vocationem Dei ſe perſecutoribus offert, Deum utique tentat, & in præſens diſcrimen tum *corpus*, quod tanquam pretioſum depoſitum à Deo acceptum, cuſtodiendum, donec Deo aliter viſum fuerit, perſecutorum injuriis exponit: tum *animam*, quam confidens nimiùm propriis viribus in abnegationis diſcrimen dat præcipitem, adducit.

Patrum conſenſus.

XXII. Rectè igitur hactenus Tertullianus *de Fuga in Perſecut. cap.* 1. ita diſſerit: *A, quo certamen edicitur, niſi à quo corona & præmia proponuntur? Ita agnoſces, ad eundem Agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium.* Cyprianus quoque Epiſt.83. *Ne quisquam veſtrûm aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro ſe Gentilibus offerat. Apprehenſus enim & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis poſitus Dominus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis, quàm profiteri voluit.* Idem libro *de Mortalitate* dicit: *Martyrium non eſſe in noſtra poteſtate, ſed in ſolius Dei dignatione.* Et lib. *de laude Martyr.* ſub finem, Martyrium *totum eſſe* ait *Dominicæ promiſſionis et muneris, nec capi niſi ejus imperio.*

Criteria vocationis Divinæ ad Martyrium.

XXIII. Tum verò ad Confeſſionem, &, ſi caſus ferat, ipſum Martyrium ſe à Deo vocari intelligunt fideles, cùm vel interrogantur à cupidis diſcendi, & abſque reſponſione ac inſtructione illorum quamvis cum vitæ periculo conjuncta erraturis ac perituris, Matth.X.11.12. vel ipſa veritatis & Eccleſiæ laborantis cauſa promptam maſculámque defenſionem & apologiam efflagitat, 1.Pet.III.19. vel Magiſtratus imperio fidei & ſpei ſuæ confeſſionem edere ſubiguntur, ducti ad Præfectos & Reges propter Chriſtum, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν, *in teſtimonium illis & gentibus*, Matth.X.

18. vel

18. vel negata confeſſione, & evitato Martyrio, animi inconſtantis, meticuloſi, infidelis nota, non ſine aperto ſcandalo & detrimento Regni Chriſti, contraheretur: vel denique Spiritus S. ſingularis operatio & *ὁρμὴ impetus* ac impulſus internus, voluntatis Divinæ teſtis irrefragabilis, ad pericula ob confeſſionem intrepidè adeunda propellit. Dei igitur provocatione his ſimilibúsque caſibus intimata, non cunctandum, non deſerendum vadimonium turpi arrepta fuga, nec caro & ſanguis in conſilium ullatenus adhibenda; ſed poſthabito vitæ amore, & calcatis terreſtribus, obſequio graſſandum, idque prompto lætóque animo, exemplo Apoſtolorum, qui *ἐχάρησαν gavisi ſint, quòd digni haberentur, qui pro nomine Chriſti contumelia afficerentur*, Act.V.41. omniúmque adeò Chriſtianorum, qui כלמה ירנו חלקם *opprobrium cantant partem ſuam*, Eſaj. LXI. 7. adeóque in cruce Chriſti lætabundi gloriantur.

XXIV. Sicut verò perſecutionum omnium, quæ ob fidem ejúſque confeſſionem fidelibus obveniunt: ita etiam Martyrii ſupremus omnino Author, Arbiter & moderator Deus eſt. Is enim tanquam ſummus Agonothetes providentiâ ſuâ cùm omnia juſtè, ſapienter, & potenter gubernat: tum fidelibus etiam agonem definit, campúmque certaminis munit. Quando igitur ſanctæ voluntati ejus viſum fuerit, *animam turturis ſuæ tradit beſtiæ*, Pſal. LXXIV. 19. *creat vaſtatorem ad perdendum*, Eſaj. LIV. 16. *propinat calicem*, Jerem. XXV. 18. Matth. XX. 22. 23. *mittit ſuos tanquam oves in medio luporum*, Matth. X. 23. *oſtendit ſuis, quanta paſſuri ſint*, Act. IX. 16 Joh. XXI. 18. 19. & beſtiæ dat poteſtatem *πόλεμον ποιῆσαι μετὰ τῶν ἁγίων, καὶ νικῆσαι αὐτοὺς, bellum inſtruendi contra ſanctos, eosdémque vincendi*, Apocal. XIII. 7. Adeò ut non patiantur, niſi κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, *ſecundum volnntatem Dei*, 1. Pet. IV. 19. & tum, cùm θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ, *cùm vult voluntas ejus*, 1. Pet. III. 17 cúmque Deus *χαρίζεται gratiam largitur* patiendi. Phil. I. 29. Unde Chriſtus Apoſtolos inter lupos amandatos, & tragica certamina ſubituros argumento Divinæ providentiæ ſolatur & erigit, Matth. X. 29. 30. *Nonne duo paſſeres aſſe veniunt, et unus ex illis in terram non decidet ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* Et afflictiones omnes idem inter media ſalutis noſtræ deputavit, Act. XIV. 22. 2. Tim. III. 12. 1. Theſſal. III 3. Rectè igitur Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 9.* quæ eſt ad Martyres & Confeſſores: *Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem.* Tertullianus quoque *de Fuga*

Martyrii ſupremus author & arbiter Deus eſt.

ga in Perſecut. fusè comprobat, nonniſi volente Deo Martyria obvenire. Cap. 3. ita ille: *Ab eo permittatur vel imperetur neceſſe eſt catholicè hæc fieri, à quo & ex parte, ſcilicet ab illo, qui dicit: Ego ſum, qui facio pacem, & condo mala, id eſt, bellum. Hoc eſt enim contrarium paci. Noſtra autem paci quid eſt bellum, quàm perſecutio? Si perſecutionis vel maximè exitus aut vitam afferunt, aut mortem, aut plagam, aut ſanationem, habes auctorem ejusdem: Ego percutiam & ſanabo: ego vivificabo & mortificabo. Uram, inquit, illos, ſicut uritur argentum; & probabo, inquit, illos, ſicut probatur aurum. Cùm enim exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt ignea jacula Diaboli, per quæ fidei uſtio et conflatio adminiſtratur: ex Dei tamen voluntate.* Idem libro *ad Martyres*, ſic inter alia eos animat: *Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt: Xyſtarches Spiritus S. Epiſtates veſter Chriſtus Jeſus, qui vos Spiritu unxit, & ad ſcamna produxit, &c.*

Cauſæ, quæ Deum ad Martyrium quandoque fidelibus indicendum movent. Quoad Deum ipſum, ejus glorificatio.

XXV. Conſtant autem Deo voluntatis illius, qua fidelibus Martyrium indicit, rationes ſanctiſſimæ, ſive ipſum Deum, ſive fideles Martyres, ſive Eccleſiam ſpectemus. Quoad *Deum* ipſum, vult is hac ratione *in ſanctis ac credentibus* ſuis, quos certamini huic deſtinat, ἐνδοξασθῆναι καὶ θαυμασθῆναι, *glorioſus & admirabilis fieri*, 2. Theſſ. I. 10. Unde S. Petro genus mortis ſuæ prædixit, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν. *ſignificans, qua morte Deum glorificaturus eſſet*, Joh. XXI. 19. Illuſtrat autem Martyrium gloriam veracitatis, præſentiæ in Eccleſia, potentiæ, miſericordiæ ac juſtitiæ Dei. *Veracitatis*, quia Martyrium teſtatur de veritate tum *verbi Dei*, utpote pro quo homines tanto numero, iſque pii, probi, ſapientes, & prudentes, & quidem ſecundum prædictionem, quin & operationem ejusdem verbi cruciatus exquiſitiſſimos pertulerunt, ſanguinémque ſuum profuderunt: tum *promiſſionum* ejus, utpote quas in Martyrio, Confeſſores ſuos invicto robore induens, ut in fide Evangelii ad noviſſimum uſque ſpiritum immoti perſtent, fideliter repræſentat. *Præſentiæ Dei* gratioſæ *in Eccleſia*, quia in Martyrio teſtatur Deus, ſe in mediis etiam flammis præſentem eſſe, Dan. III. 24. 25. & dominari in medio inimicorum, Pſal. CX. 2. *Potentiæ*, qua ita fideles ſuos animat, armat & robore invicto inſtruit, ut ne portæ quidem inferorum iis præváleant, Matth. XVI. 18. vincántque adeò *per ſanguinem agni*, & per *ſermonem teſtimonii ſui*, Apoc. XII. 11. eoſdémque tanquam oves ſuas conſervat, ut è manibus ejus rapi non poſſint.

poſſint, Joh.X.27.28. denique hoſtes etiam potentiſſimos confundit, Pſal.II.9. *Miſericordia*, quia gratificatur iisdem, ut pro nomine Chriſti pati poſſint, Phil.I.29. efficítque immensâ gratiâ ſuâ, ut potentia ejus in miſeri hominis infirmitate conſummetur, 2.Cor.XII. 9. Denique *juſtitia*, ſecundum quam Deus conſtantes confeſſores ſuos præmiis tum in hac, tum multò magis in altera vita exornat, perſecutores verò ipſos æternùm damnat, Matth.V.10. 2.Theſſ.I. 4--7. Speciatim etiam Chriſti Salvatoris gloria ex paſſionibus Martyrum exſplendeſcit, cùm, uti Apoſtolum Col.I.24. teſtantem ſupra induximus, Martyres paſſionibus ſuis merito ejus gratas veluti vices perſolvant; & uti ſcitè S. Auguſtinus *lib.1. de Conſenſ. Evangel. cap.32.* loquitur, *in ſanguine Martyrum, tanquam in honore purpureo, Chriſtus veſtiatur.* Quot vulnera corpori inflicta, tot ora Martyres habent, quibus Chriſtum laudant. Unde apud Prudentium Romanus Martyr *fluentem ſatur inter ſanguinem*, judici ſuo gratias agit, quòd *multa pandens ora jam Chriſtum loquatur, & tot laudent ora, quot ſunt vulnera.*

Quoad fideles.

XXVI. Quantum ad *fideles Martyres* ipſos, graviſſimæ etiam rationes Deum, ut Martyrium illis injungat, movent. Potiſſimæ autem ſunt caſtigatio & expurgatio ſordium peccati, quæ ſanctiſſimis quibúsque inhærent: conformatio illorum cum Chriſto: exploratio fidei, obedientiæ, patientiæ, aliarúmque virtutum: denique teſtimonium doctrinæ, de qua per Spiritum S. perſuaſi cùm ſint, obſignari eandem ſanguineo teſtimonio Deus jubet. Caſtigari ergò fideles, & ſordes peccatorum ipſorum expurgari Martyrio & paſſionibus, manifeſtum eſt. Etenim *ſi nos ipſos dijudicaremus, non dijudicaremur. Sed dum judicamur à Domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur*, 1 Cor.XI.31.32. Unde Eccleſia paſſionibus exercita eo nomine Deo gratias perſolvit his verbis: בחנתנו אלהים צרפתנו כצרף כסף *Probâſti nos, Deus, conflâſti nos ſicut argentum*, Pſalm. LXVI.10. Chriſtúsque ſanctos ſuos exercens hinc comparatur cum אש מצרף *igne conflante aurificis, & ſmegmate fullonum* Malach.III. 4.5. ubi etiam ſeſſurus *conflans & purificans argentum, & purificaturus filios Levi, & fuſurus eoſdem, ut aurum & argentum* dicitur. Sordium igitur harum & reliquiarum carnis reſpectu, etſi innocentes ſunt Confeſſores quoad homines, apud quos ἀγαθοποιοῦντες πάσχουσι *benefacientes patiuntur*, 1.Pet.II.20. & διὰ δικαιοσύνην *propter juſtitiam*, cap.III.14. ὡς Χριστιανοί, *tanquam Chriſtiani*, cap.IV.16. tamen

1. Caſtigatio & expurgatio peccatorum.

quoad Deum, peccatores ſe eſſe nocentéſque humiliter confitentur. Solius Chriſti hoc elogium eſt, quòd paſſus ſit *juſtus pro injuſtis*, 1.Pet.III.18. Verè igitur S.Auguſtinus in Pſal.LXXIX. *Satis oſtenditur, propter peccata hominibus licet fidelibus fieri tribulationes, quamvis hinc floreſcat Martyrum gloria, merito patientia & piè ſuſtentato flagello Domini moderamine diſciplinæ. Hoc Machabæi inter ſæviſſima tormenta, hoc tres viri inter noxias flammas, hoc Propheta ſancti in captivitate teſtantur*, &c. Chryſoſtomus quoque *homil.*24. *in Acta* docet, *in perſecutione prorſus affectiones ceſſare, quæ in pace tanquam beſtia nos invadunt.*

2. Conformatio cum Chriſto. Sed & *conformari* Martyres per paſſiones cum patiente fido illo Martyre Chriſto, Scriptura diſertè teſtatur. *Fidus ille ſermo eſt.* Ἐι γὰρ συνεπάθημεν καὶ συζήσομεν. Ἐι ὑπομένομεν καὶ συμβασιλεύσομεν. Ἐι ἀρνύμεθα, κακεῖνος ἀρνήσεται. *Si unâ patimur, unâ vivemus. Si toleramus, etiam conregnabimus. Si negamus, ipſe quoque negabit nos.* 2.Tim.II.11.12. coll. cum Rom.VIII.17.29. Sumus in Chriſto, *ut noverimus ipſum, & potentiam reſurrectionis ejus*, καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων ἀυτȢ συμμορφȢμενοι τῷ θανάτῳ ἀυτȢ, *& communionem cum paſſionibus ejus, ut conformemur cum morte ejus*, Phil.III.10.

3. Exploratio fidei &c. Tum & fidem, obedientiam, patientiam, aliáſque virtutes, quarum tum conſtantia, tum ſinceritas in perſecutionibus & paſſionibus quàm maximè gliſcit, Deus hac ratione explorat. Ita Deus ſuos contriſtatur ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς, *multifariis tentationibus, ut* τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως *fidei exploratio longè pretioſior auro pereunte, per ignem explorato, comperiatur, ad laudem, honorem & gloriam, in revelatione Jeſu Chriſti*, 1.Pet.I.6.7. Tentantur adeò, an ſoli Deo ſervire, an duobus potiùs Dominis obedire parati ſint, Matth.VI.24. Hæc videlicet, uti Tertullianus *de Fuga in Perſecut. cap.*1.monet, *pala illa eſt, quæ & nunc Dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet, confuſum acervum fidelium, ventilans frumentum Martyrum, & paleas negatorum.* Et paulò poſt: *Quando Deus magis creditur, niſi cum magis timetur? niſi in tempore perſecutionis? Tunc Eccleſia in attonito eſt. Tunc & fides in expeditione ſolicitior, & diſciplinatior, in jejuniis & ſtationibus & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia & dilectione, in ſanctitate & ſobrietate. Non enim vacatur niſi timori & ſpei.* Ita Juliano perſequente, ἀυτίκα ὡς ἐν χορευτηρίῳ, ὅιτε ὄντες Χριστιανοὶ, καὶ ὁι νομιζόμενοι, φανεροὶ πᾶσιν ἐγένοντο, *extemplò qui erant verè Chriſtiani, & qui Chriſtianorum ſpeciem duntaxat præ ſe ferebant, manifeſtati ſunt*, uti Socrates *Hiſt. Eccleſ.*

Eccleſ. lib. III. 11. teſtatur. Teſtimonii quoque Chriſto per Martyria perhibendi neceſſitatem ſupra aſſeruimus. 4. Teſtimonium doctrinæ.

XXVII. Denique etiam *Eccleſiæ* ipſius gratia Deus fidelibus Martyria immittit, tum ut per ea ejus veritas comprobetur: tum ut inde lætioribus incrementis ſurgat: tum ut nitidior, defœcatior, purgatiórque Martyriis evadat. Quas ob cauſas perpulchrè S. Ambroſius *lib. 3. de Virg.* Martyrem Chriſti *theſaurum Eccleſiæ* vocat. Et *veritatem* quidem *Eccleſiæ* Martyria comprobant, quia Scriptura credentibus donum patientiæ & prædicit & promittit, Pſal. XLIV. 23. Phil. I. 29. Ubi igitur illud patientiæ ſinceræ Deo confidentis, ei gloriam dantis, eum amantis, & pro gloria ejus ſe offerentis, deniq; glorioſè vincentis donum obtinet, dubitari nequit, quin vera ibi fides, adeóq; vera Eccleſia in Scriptura fundata exiſtat. Quoad Eccleſiam 1. Comprobatio veritatis ejus.

XXVII. Tum ex paſſionibus Martyrum *læta incrementa* Eccleſiam capere, & fluentem procumbentémque religionem reſtitui, ſacra hiſtoria dubitare non ſinit. Quò magis olim Iſraëlitæ in Ægypto preſſi exercitíque ſunt, hoc irriguæ inſtar herbæ ſuccreverunt magis. כאשר יענו אותו כן ירבה וכן יפרץ *Quòmagis* (exactores) *affligebant eum*, (populum Iſraël) *hoc magis creſcebat & multiplicabatur.* Exod. I. 12. Ita cùm Herodes manus injeciſſet, κακῶσαι τινας ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας *ad infeſtandos nonnullos ex Eccleſia*, ipſúmque Jacobum fratrem Johannis gladio percuſſiſſet, Petrum quinetiam in nervum rapuiſſet, mox quidem cœlitus ipſe Herodes punitus eſt, aſt interim ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανε καὶ ἐπληθύνετο, *ſermo Dei crevit & multiplicatus eſt*, Act. XII. 1. 2. 3. 24. Ita periit Herodes, pereunt omnia: at non periit verbum Dei, non perit in æternum. Id ipſum etiam liquidò teſtantur veteres. Juſtinus Martyr *Epiſt. ad Diogn.* Οὐχ ὁρᾷς, ὅσῳ πλείονες κολάζονται, τοσούτῳ πλεονάζοντας ἄλλους. *Nonne vides, quò plures puniunt, tantò plures alios abundare.* Tertullianus *Apolog.* cap. 45. *Exquiſitior quæque crudelitas veſtra illecebra magis eſt ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Leo M. Serm. 1. *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur. Et ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur; dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Lactantius Inſtit. lib. V. 20. *Augetur religio Dei, quantò magis premitur.* Digna inprimis memoratu ſunt S. Theodoreti *Serm. 9. de Legibus pag.* 127. hanc in rem verba: Καθάπερ πάλαι τὴν βάτον ἐκείνην καῖον τὸ πῦρ οὐ κατέκαιεν, οὕτως τοὺς πολεμουμένους τὰ τῶν πολεμούντων οὐκ ἀνήλισκε βέλη, ἀλλ' 2. Incrementum & propagatio ejus.

ὥσπερ τῶν δρυτόμων τὰ δένδρα τεμνόντων, πολλῷ πλείους τῶν τεμνομένων ἐκ τῶν ῥιζῶν παραφυάδες βλαστάνουσιν, οὕτω δὴ τηνικαῦτα τῶν δυσσεβῶν ἀναιρουμένων πολλαπλάσιοι τῇ τῶν Εὐαγγελίων διδασκαλίᾳ προσῄεσαν, καὶ τὸ αἷμα τῶν ἐκτμηθέντων, ἄρδεια τοῖς νεοφύτοις ἐγίνετο. καὶ μαρτυρεῖ τὰ ὁρώμενα. Μυριοπλάσιοι γὰρ τῶν πάλαι πεπιστευκότων οἱ νῦν τῷ τῆς πίστεως ὀνόματι καλλυνόμενοι. Τῶν γὰρ πολεμίων οἱ παῖδες τὴν τῶν πατέρων βδελυσσόμενοι λύτταν, εἰς τὴν τῶν πολεμουμένων μετέβησαν φάλαγγα, καὶ φροῦδα μὲν τὰ τῶν ἑλλήνων, καὶ παντελεῖ παραδέδοται λήθῃ. Τέθηλε δὲ τὰ τῶν ἁλιέων, καὶ ὁ παρὰ τούτων κηρυττόμενος, Θεὸς εἶναι τῶν ὅλων πεπίστευται. καὶ τῶν ταῦτα φρονούντων, πλήρεις μὲν αἱ πόλεις, πλήρεις δὲ αἱ κῶμαι, ἐλεύθερα δὲ τῆς πλάνης τὰ ὄρη. *Veluti quondam rubus ille, quem vidit Moſes, ardore ignis non eſt abſumptus: ita nec Chriſtianos impiorum bellis petitos, tela hoſtilia abſumpſerunt. Quin potiùs ſicut lignatoribus ſilvam cædentibus multò plures pullulant propagines ab radicibus, quàm ſint rami, qui inciduntur: ita tunc quoque piis compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant: cruórque ille cæſorum corporum irrigatio quædam erat novis in Eccleſia emergentibus plantis. Cujus rei fidem nobis faciunt ea, quæ nunc videmus. Infinita enim proportione, qui nunc Chriſtianæ fidei titulo condecorantur, eos excedunt, qui priſcis olim temporibus in Chriſtum crediderunt. Eorum ſiquidem filii qui Chriſtianam fidem acerrimè oppugnârunt, parentum inſaniam rabiémque pertæſi, ad eorum acies transfugerunt, quos à ſuis parentibus oppugnari viderunt. Ex quo factum eſt, ut impios gentium ritus evanuiſſe cernamus, ſempiternaq; oblivioni traditos eſſe: Piſcatorum verò doctrinam longè latéque pollere, quémque illi prædicârunt, haberi univerſorum Deum. Plenæ ſunt enim civitates: plenæ ſunt villæ hominum in Chriſtum credentium. Montes quoque ab eo, quo tenebantur, errore liberati ſunt.* Recentior quoque ſcriptor Jac. Auguſtus Thuanus *Præfat. in Annal.* queritur, Proteſtantes in Gallia, qui per pacem auctoritate & numero indies minuebantur, inter arma & perſecutiones ſemper creviſſe. Cui ſecunda faciens famoſus ille Cardinalis Richelieu, teſte Hiſtoria Miniſterii ejus *pag.* 207. 208. perſecutionem Reformatorum diſſuaſit, adducta ratione ejusmodi: *Seu cremati ſunt*, inquiebat, *Salamandræ adinſtar in igne perdurârunt: ſeu aquis merſi, piſcium more multiplicati ſunt: ſeu capitibus plexi, arborum adinſtar germina plura, quàm quæ reſecta erant, protruſerunt.* Plura etiam recentiora exempla Cel. Hottingerus *Hiſt. Eccl. Tom. IX.* pag. 175. &c. commemorat.

XXVIII.

XXVIII. Denique Eccleſiam Martyriis reddi *nitidiorem*, ſanctiorem, defœcatiorémque, liquet. Ita enim ferè comparatum eſt, ut quò pacatior feliciórque eſt Eccleſia, fœcibúsque ſuis diutiùs incumbit, hoc reddatur depravatior ac deterior. Contra ardentibus perſecutionum flammis Eccleſia fidei, patientiæ & virtutum exemplis fit longè illuſtrior. *Antequam humiliarer*, inquit David Pſal. CXIX. 6. 7. *errabam, At nunc dictum tuum obſervo.* Meritóque hinc Martyrium fidei coticula, charitatis inflammatio, totiúſque religionis fundamentum cluet. Ita Gregorius Nazianzenus *lib. 1. Invect. in Jul.* ait, perſecutiones illuſtrâſſe potiùs Chriſtianam religionem quàm debilitâſſe, animabus nimirum ad pietatem rorantibus, &c. Origenes Homil. 14. in Jerem. *Tum erant verè fideles, quando Martyrum victima feriebantur, quando cruentas exequias proſequuti, triſtes ad Eccleſiam revertebantur, & omnis erat multitudo lugentium; quando Catechumeni, in prima ſtatim fide, proferendo Martyrio ducebantur; quando mulierculæ & infirmus ſexus uſque ad mortem manebat intrepidus. Tunc verè ſigna de Cœlo: Tunc fiebant portenta de terra.* S. Auguſtinus quoque *in Pſalm.* 71. ita pacis & perſecutionum tempora contendit: *Etiam Eccleſia illa, quæ initiò temporum Chriſtianorum, cùm adhuc perſecutione Secularium hominum Sancti premerentur, miranda videbatur hominibus. Nunc poſtquam in tanto culmine nomen cœpit eſſe Chriſtianum, crevit hypocriſis, id eſt, ſimulatio eorum, qui nomine Chriſtiano malunt hominibus placere, quàm Deo.* Proſper *Sent.* 23. ſimiliter docet, Deum perſecutoribus poteſtatem permittere conſurgendi in Sanctos, ut qui Spiritu Dei juvantur & aguntur, *fiant per laborum exercitia clariores.* Quod his etiam verſibus expreſſit: 3. Renovatio ejusdem.

Quòd plerumque mali in Sanctos ſævire ſinuntur,
Quódque bonis pravi ſæpe nocere queant;
Abſque Dei nutu non fit, qui corda ſuorum
His etiam bellis glorificanda putat.
Creſcunt virtutum palmæ, creſcúntque corona,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

Et Chriſtianum hocce Paradoxum, quòd videlicet ceſſantibus perſecutionibus Eccleſia & pietas decreſcat, at ſævientibus iiſdem floreat, Doctiſſ. Rittershuſium *Sacr. Lect. lib. VI.* 17. ex Chryſoſtomo inprimis, Hieronymo & Vive, fusè doctéque eruentem videre licet.

Dei permiſſu Diabolus Martyria ciet.

XXVIII. Poſt Deum, eodémque juſtè permittente, ſanctè moderante, & potenter dirigente Martyria cient & infligunt Diabolus, *ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς homicida à principio*, Joh. VIII. 44. ejúſque ſemen improbum homines peccatores, Dei veritatíſque hoſtes. De Diabolo ita clarum eſt, ut probatione non indigeat. Is enim rufus ille Draco eſt, qui *mulieri parienti* ferociter aſtans, *filium ejus genitum deglutire* conatus eſt, Apoc. XII. 4. quíque ſolutus carcere Gogum & Magogum ad prælium contra Sanctos concitat, ib. cap XX. 3. 7. Quod ipſum facit neutiquam eodem, quo Deus, fine ſancto, ſed impulſu tum nefarii erga Deum, Eccleſiam & veritatem, quorum ἄσπονδος hoſtis eſt, odii: tum ἐπιχαιρεκακίας & ſtudii nocendi hominibus, quo tanquam leo rugiens, quærénſque quos devoret, & κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς *nequam*, inexpiabili ardet: tum denique vindictæ adverſus Eccleſiam, quam dolet enixè per Evangelium ex ſua ſervitute & Regno transferri in Regnum Dei, unde ὀργίζεται ὁ Δράκων ἐπὶ τῇ γυναικὶ, *indignatur Draco ille mulieri, & abiit ut ſtruat bellum adverſus reliquos de ſemine ejus, ſervantes mandata Dei* καὶ ἔχοντας τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ *& habentes teſtimonium Jeſu Chriſti*, Apoc. XII. 17. Similis eſt Pardali ſeu Leopardo Sathanas. Sicut enim μισανθρωπότατον illud animal, homine abſente, vel imaginem ſolam ejus videns, ſive pictam ſive ſculptam, confeſtim in oculos ejus involat, eámque lacerat & diſcerpit: ſic ille cùm ad Chriſtum abſentem, & in Cœlis regnantem penetrare nequeat, ejus imaginem & ἔκτυπον, hominem videlicet fidelem inſectatur, exagitat, infeſtat.

Ejus motiva.

Diaboli inſtinctu Martyria infligunt homines omnis generis, ſtatus, ſexus.

XXIX. Diabolo ſicut alibi, ita hîc inprimis miniſtrant homines, υἱοὶ τῆς ἀπειθείας *filii inobedientiæ*, in quibus ille, tanquam dedititijs ſuis, animum verbo Dei infeſtum, ſævum, crudelémque erga Confeſſores fideles Chriſti operatur, Epheſ. II. 2. Suntque illi omnium ordinum, ſexus, ætatis: puta *fœminæ*, quales erant Jezabel, Herodias, quin & honeſtæ cœteroquin, at cœco veritatis odio imbutæ, quales illæ, quæ contra Paulum & Barnabam perſecutionem excitârunt Act. XIII. 50. *pueri* quoque, veluti Iſmael Geneſ. XXI. 9. pueri Bethel 2. Reg. II. 13. *Magnates*, Imperatores, Reges, Principes Pſal. II. 1. &c. quorum in omnium temporum hiſtoria magna ſeges: *Eccleſiaſtici*, & in his inprimis Primores ſeu Præſides, Eccleſiæ Matth. XX. 18. 19. Joh. XVIII. 12. 13. Act. 10. 1. &c. *Milites*, uti Chriſti militum violentia exagitati Matth. XXVII. 27. &c. Luc.

XXIII.

XXIII.11. liquet: *Opifices*, uti exempla Demetrii Ἀργυροκόπυ Act. XIX.24. & Alexandri fabri ærarii 2.Tim.IV.17.fidem faciunt: *Turbæ* promiſcuæ quæ Zachariam 2.Chron.XXIV.21.Chriſtum, Paulum &c. afflixerunt; unde *populum* θηριωδέςερον λεόντων καὶ λύκων ἀνῃκωμένων *ferociorem leonibus & lupis oppoſitis vocat*. Michael Syncellus in vita Dionyſii: neque etiam illi omnes *peregrini* duntaxat, ſed ut plurimùm & quidem ſæviſſimi *populares* & *domeſtici*. Ita *Abelem major frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis civitatis Dei, quæ eſſet ab impiis & quodammodo terrigenis perſecutiones iniquas paſſura*, uti S. Auguſtinus *de C.D. lib.XV.*11. loquitur. Olim etiam ii, qui ex gentibus crediderant, non perinde oppugnabantur à Græcis, quemadmodum ii, qui ex Judæis crediderant, à ſuæ gentis hominibus vexabantur. Ipſúmque Jeremiam magis populares Anathotani Jerem.XI.21.XII.6. & Judæi Jerem.XX.2. quàm Babylonii ipſi Jerem.XXXIX. 12. XL.4. infeſtârunt. Clarè denique Chriſtus prædixit Matth.X.21.34.35.36. *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & Pater filium. Inſurgéntque filii in Parentes, & eos neci dabunt.* καὶ ἐχθροὶ τῦ ἀνθρώπυ οἱ οἰκιακοὶ αὐτῦ. *Et hoſtes hominis erunt domeſtici ejus.* Unde in ipſa etiam Eccleſia ab ejusdem membris fideles ob fidei confeſſionem pati poſſe, colligitur. Quod ſinceriois Prophetæ Hanani ab Aſa, Zachariæ à Joſia, Calvini, Melanchthonis, Hemmingii, Carthrvvigthi, aliorum à fidei domeſticis diriſſima quæque perpeſſorum exemplis liquet.

XXX. Sed inter omnes illos homines Μαρτυρομάςιγας ferocia, impietate & crudelitate eminet Antichriſtus, ille Ἀντικείμενος *adverſarius* Chriſti famoſiſſimus. De quo S. Auguſtinus *in Pſal.9.* jam olim ita prolocutus eſt: *Prima perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cùm proſcriptionibus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per hujuſmodi hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia ſupereſt, per Antichriſtum ventura, quæ nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis.* Inprimis Spiritus S. clara ſunt hanc in rem vaticinia; veluti cùm Beſtia (hoc enim Antichriſti hieroglyphicon eſt) ex abyſſo aſcenſura, & teſtibus Chriſti bellum indictura, eosdem victura & occiſura, Apocal.XI.7. Beſtia ſecunda occiſura omnes illos, qui imaginem ſuam non adorant, cap.XIII.15. mulier Beſtiæ inſidens, *purpura & coccino*, ſanguinei videlicet coloris, quem aſperſus Sanctorum cruor illi conciliavit, ve-

Omnes homines ſævitia ſuperat Antichriſtus.

D ſtita,

duxit, uti de eo Thuanus *Annal. lib.* 54. teſtatur. Neque etiam lauream Bellarminus eripere debuit furiæ illi humani generis, homini miſanthropo Albano, illud in triumphis ſuis identidem ducenti jactantíque, *quòd paucos intra annos triginta ſex millia animarum Evangelicam doctrinam profitentium, carnificis duntaxat manu occidi curaverit.* Religionis quoque cauſa in Gallia & Belgio ſolius undecennii ſpatio ſupra quingenta millia hominum interfecta eſſe, Jeſuita Antonius Poſſevinus Epiſtolâ ad Poloniæ Regem affirmare non erubuit. Sed & Hibernicam Urbano VIII. Pontifice Summo adornatam lanienam, quæ in ſola Ultonia, quarta & minùs culta Hiberniæ parte, intra ſex menſes centum quinquaginta quatuor proteſtantium millia inauditis tormentorum mortíſque generibus trucidata hauſit, poſt memorare juvabit. Et ſi res geſtas altiùs repetamus, ipſe, ipſe, inquam Bellarminus *de Notis Eccl. c. ult.* memorat, *uno die cæſa fuiſſe Albigenſium centum millia.* Et quid multis? Vidit ne unquam antiquitas Chriſtiani ſanguinis rivos fluentes? At paulò ſupeperiora, & noſtra viderunt tempora in Gallia, Pedemontio, Belgio, Rhætia, Hibernia. Ipſa quinetiam Gentilium ſupplicia, ſi cum Pontificiis comparentur, levia quodammodo videri poſſunt. Illis quidem uſitatiſſimæ fuerunt cruces, gladius, lapicidinæ, cataſta. His uſitatiſſimi ignes, & quidem lenti, quod graviſſimum omnium, quæ excogitari poſſunt, per ſe ſuppliciumeſſe, ipſa pœnarum infernalium analogia comprobat. Sola laniena in Pedemontio & Hibernia noſtra ætate patrata, tot inaudita ſuppliciorum genera repræſentat, ut ſine horrore frigidiſſimo & ſacerrimo cogitari nequeant.

Cauſarum, quæ homines ad infligenda Martyria movent, communium inductio.

XXXIII. Unde verò, inquias, tantæ animis illis, non cœleſtibus ſanè, ſed furialibus, adverſus fidos Chriſti teſtes iræ? Solent qui de bellorum cauſis ſcribunt, diſtinguere belli *αἴτια καὶ προφάσεις*, veras *cauſas & prætextus.* Idem nobis faciundum de belli ſacri adverſus Chriſti teſtes cauſis inquirentibus: diſtinguendæ veræ cauſæ à fictis prætextibus. Tametſi enim juſtæ cauſæ ob religionem perſequendi nullæ impios perſecutores movere poſſunt, adeóque hactenus illi שנאו חנם *μισοῦσι δωρεὰν, oderunt immeritò*, ſine cauſa, Pſal. XXXV. 19. Joh. XV. 25. אויבי שקר *inimici cum falſitate*, Pſal. LXIX. 5. cauſas tamen illi, etſi injuſtas, ad perſequendum habent. Quæ quidem vel communes ſunt omnibus Martyrum perſecutoribus, vel quibusdam propriæ. Communes ſunt tum *ignorantia* veri Dei in Chriſto, teſte Salvatore Joh. XV. 21. ita prædicente:

Omnia

Omnia hæc facient vobis propter nomen meum, ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με, *quia ignorant illum, qui miſit me*; quæ ipſa quidem in aliis, veluti S. Paulo 1. Tim. I. 13. & Judæis Luc. XXIII. 34. ſimplex, ſpem habens Divinæ veniæ; in aliis verò, οὓς λανθάνει θέλοντας, *qui volentes ignorant*, 2. Pet. III. 5. cujuſmodi Phariſæi aliíque fuerunt Joh. XV. 22. malitioſa eſt: tum pertinax *odium* Evangelii & Confeſſorum ejus, conceptum partim inde, quia ab impiis mundi moribus ſeſe ſeparant atque abhorrent, juxta illud Chriſti Joh. XV. 19. *Quia ex mundo non eſtis, ſed ego elegi vos ex mundo*. Διὰ τοῦτο μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος, *propterea mundus vos odit*; partim inde, quia mala perſecutorum opera luce veritatis reteguntur & redarguuntur, teſte Chriſto Joh. III. 19. 20. XVI. 8. tum *ſuperſtitio*, cujus ductu ſtolidè ſibi fingunt, quòd fideles occidendo gratiſſimam ipſi Deo operam, imò λατρείαν *cultum præſtent*, Joh. XV. 2. quam etiam cum ignorantiæ zelo ferè conjunctam eſſe, S. Paulus ſuo, Saulis adhuc, exemplo, Act. XXII. 3. 4. docet.

XXXIV. Sunt etiam propriæ & peculiares cauſæ, quæ ſeorſim Eccleſiaſticos, Politicos, plebejos ad perſecutionem Confeſſorum Chriſti ſtimulant. Et Eccleſiaſticos quidem plerumque ambitio & libido movent. Nam nec ſaniora docentes, nec vitia, immenſam inprimis præter jus & fas Divinum atque humanum uſurpatam poteſtatem reprehendentes ferre poſſunt, quod de Scribis & Phariſæis hiſtoria Evangelica; de Papa, Cardinalibus, aliíſque Babyloniis flaminibus, qui ſoli regnare cupiunt, pares ferre non poſſunt, cùm alii, tum Doctiſſimus Berneggerus *Tuba Pacis pag.* 156-164. comprobant. Politicos ut plurimùm αὐτονομία, ſeu abſolutæ poteſtatis proſecutio, qua ſacrarum juxta atque profanarum rerum ſupremum ſibi arbitrium arrogant, ipſiúſque adeò Regni Chriſti clavum ſibi vindicant, ad perſequendos & occidendos eos, qui veritati ſtudent, tranſverſos agit, uti Nebucadnezaris, Daniel. III. Antiochi Epiphanis, aliorúmque exemplis liquet. Plebejos denique avaritiæ ſtimuli ad turbandum concitant, cujus rei exempla Act. XVI. 19. XIX. 24. 25. legere eſt. Quanquam vitium hoc ſæpe commune eſt perſecutoribus tum Eccleſiaſticis, uti Romanus Clerus, quem juxta Salluſtianum illud *ex divitiis luxuria, atque avaritia cum ſuperbia invaſere*, unde *ejus imperium crudele intolerandúmque factum*, & velut, ut olim de Romanis Mithridates apud Juſtinum *lib.* 38: 6 dicebat, *conditores Romæ lupæ uberibus alti, ſic ille luporum animos, inexplebiles*

Propriarum & ſpecialium inductio.

vivicomburium veteriorum Martyrum, velut Judæorum ſub Macchabæorum tempora, omiſſum ab Apoſtolo cenſeatur; quomodo ante ipſum eandem ob cauſam Junius ἐπυρώθησαν, Beza ἐπυρώθησαν *uſtulati ſunt*, legerunt,) & ἐπρίσθησαν uberiùs exponit: nec non Hieronymus Magius de *Eculeo*, ubi vocem ἐτυμπανίσθησαν explicat. Singulari quinetiam libro, *de SS. Martyrum cruciatibus* inſcripto, Antonius Gallonius Romanus Inſtrumenta & modos, quibus Martyres olim torquebantur deſcripſit, & tabulis æneis expreſſit. Crucis ſupplicium Lipſius, & poſt ipſum Claudius Salmaſius explicatum dederunt. Multifarios verò illos ſuppliciorum veterum modos poſt Hilarium *in Pſal.* 65. Gregorium Nyſſenum *Orat.* 8. *de Beatitud.* Chryſoſtomum *Hom.* 4. *in* 1. *Corinth.* Theodoretum *Serm.* 9. *de Curandis Græcorum Affect.* aliósque ὡς συλλήβδην Georgius Fabricius in Notis *ad Poëtas Eccleſiaſticos* his verbis recitat: *Chriſtiani homines variis tormentis & modis innumeris olim diſcruciati, laniati et extincti ſunt. Alii in aëre ſuſpenſi perierunt: alii aquis immerſi ſunt, alii rogis impoſiti, alii terra infoſſi (nam elementa, quæ ad vitam aliis mortalibus data ſunt, ſervis Chriſti ad pœnam fuerunt reſervata, ut quidam ex antiquis ait,) ſublati ſunt fuſtuario, gladiis, lapidatione, jaculis, equuleo, cruce, grabbato, item rhamnis paliuríſque aculeatis puncti, tibiis divaricatis, arbori incluſi, fidiculis torti, unco tracti, ungulis lacerati, percuſſi plumbatis, ſtylo foſſi, virgis cæſi, infuſis in corpora metallis liquidis excarnificati, truncati membris, alligati armentis ſylveſtribus, diſſecti viventes, ſartagine cocti, oleo frixi, prunis uſtulati, craticulis aſſati, lentis flammis abſumpti, arvina aut oleo defluente, ſubſtratis Teſtis, impreſſi, laminis excruciati, laqueis aut loris diſtenti, contis palíſque affixi, corio et cute denudati, membratim aut articulatim ſoluti, viſceribus & inteſtinis exenterati, facculis et pice tentati, ſellis candentibus impoſiti, molaribus contuſi, catapultis trajecti, tabi et putredini vulnerum reſervati, rotis fracti, novaculis diſciſſi, carpti forcipibus, præcipitati de ſcopulis, arboribus diſſilientibus alligati, ventis et fluctibus marinis commiſſi, feris immanibus expoſiti, in loca ſola deportati, inedia et fame ſublati, nudi & algentes in vias publicas projecti, & excrementis propriis necati, ad metalla damnati, ſcrobibus lethalibus immiſſi, canibus & alitibus objecti, in fornaces igneas aut calcarias intruſi, laniſtarum et ſervorum furori, piratarum & mangonum avaritiæ, lenonum & militum libidini, lictorum & carnificum crudelitati traditi, denique, nullo non contumeliæ, nequitiæ, injuriarum, tormentorum genere*

nere divexati: præterea curam, ut ait Lactantius, tantopere tortis adhibuerunt, ut ad alios cruciatus membra renovarentur, & repararetur novus ad pœnam ſanguis. Harum pœnarum aliæ à Prudentio, Victorino & Fortunato: aliæ ab aliis auctoribus Eccleſiaſticis referuntur; ut omittam eas, quas ſine pudore referre, ſine horrore cogitare non poſſumus, neque recenſere propter multitudinem omnes valemus. Hactenus ille. Qui penitiùs varia ſuppliciorum inſtrumenta, nominatim Beſtias, Compedes, Crucem, Cyphoniſmum, Deportationem & relegationem, Equuleum, Fumum, Fodiculas, Fuſtuarium, Ignicomburium, Laminas ardentes, Faces, Metallum, Maſſam candidam, Naves laceras, Oleum fervens, Sectos minutatim, Puncta crebra, Stylum ferreum, Plumbata, Pectines, Ungulas, Uncum, Virgas, Tunicam moleſtam, Teſtas, &c. cognoſcere, atque inde ſuppliciorum diritatem metiri deſiderat, laudatum ſupra Gallonium, & poſt ipſum Doctiſſimum Joſuam Arndium in *Lexico Eccleſiaſticarum Antiq. pag.* 614. &c. conſulat licet.

XXXVIII. Superiori noſtráque ætate non minùs horrenda de Evangelicæ veritatis Confeſſoribus ſupplicia expetita ſunt. Placuit nempe Romanis Pontificibus, ut hæretici, quorum in numero illis ſunt, quotquot ſolum in Deum, Chriſtum & verbum ejus ac Evangelium credunt, & Pontificiam poteſtatem ac humana commenta reſpuunt, non aliâ ordinariâ, quàm *vivicomburii* pœna, quâ atrocior excogitari nequit, libidini ſuæ litent. Rationem ille Jeſuitarum per Bavariam Generalis apud Hoſpinianum *Hiſtor. Jeſuit. pag.* 113. hanc reddit, *quòd illud hominum genus non alia ratione, quàm ignis ardore emolliri & diſſolvi queat.* Háncque pœnam horribilem per poteſtates Politicas fidei ſuæ obnoxias, quoties illis libet licetque, promptiſſimè exequuntur. Locuples ejus rei teſtimonium præbent Martyrologia, Anglicum inprimis, ex quo liquere poteſt, intra biennium, flagrante Mariana perſecutione, confertum fidelium agmen, tot Deo devota, & electis Angelis hominibúſque chariſſima capita, holocautomatum inſtar, non aliâ ferè quàm vivicomburii pœnâ tragicis planè modis è medio ſublata eſſe. Ut ex multis unum referam, horret certè animus cogitare ſupplicium celeberrimi illius Hieromartyris Johannis Hooperi, Epiſcopi primùm Gloceſtrienſis, poſt Wigornenſis in Anglia, qui adhuc Henrico VIII. Rege exul Tiguri in ædibus Venerabilis Bullingeri τȣ͂ μακαρίτȣ vixit, & ab eodem Apollinis inſtar, (Act. XVII. 26.) τὴν τȣ͂ Θεȣ͂ ὁδὸν, *viam*

Supplicia novorum perſecutorum horrenda.

Exempli gratiâ Hooperi Martyrium inducitur.

viam Dei ἀκριβέστερον didicit,cujus etiam in Eccleſiæ noſtræ ſcriniis frequentes Epiſtolæ propria ejus manu ad Bullingerum, aliósque exaratæ, imò & emortuales literæ pridie illius diei, quo ſupplicium tragicum ſubivit, ex carcere ſcriptæ extant. Is igitur plus quàm Adamantinus Chriſti Confeſſor,Foxo *Rerum in Eccleſia geſtarum pag.*295.&c.aliiſque teſtibus, Marianis temporibus A. 1555. Gloceſtræ lento igne & arundinibus,ſeu juncis humidis (en inauditum in omni antiquitate exemplum!)combuſtus fuit. Extinctus atque conſumptus ſemel atque iterum erat ignis,ſuperſtite etiamnum Martyre, ob paucitatem & humiditatem faſciculorum, cùm Sanctus Dei Vir utraque manu oculos tergit,& ad populum converſus infit: *Viri fratres,afferte plus ignis; ita Vos per Deum obteſtor.* Interim ſuræ,tibiæ,ac cœteræ partes vicinæ torrebantur. Applicatur tertiùm ignis, quo durante miſericordiam Dei clara voce implorare Martyr,uſque dum lingua vi ignis rigeſceret,loquendíque facultatem eriperet.Unicum reſtabat ſignum,quo intentam cœleſtibus mentem ſignificabat.Continuò enim pectus pugno feriebat, donec à corpore brachium avelleretur. Id ipſum agebat altera manu,donec nervorum junctura ſeparata divelleretur.Eodem tempore defluens per digitorum extrema adeps ſanguini miſta horrendum ſpectaculum præbebat. Tandem cùm novas vires ignis ſumpſiſſet,extinguitur Martyr,cujus manus catenæ affixa contra pectus manſit. Duravit igneum certamen ultra tres horæ quadrantes. En terribilem agonem, quo tantus Martyr & Athleta χριστοφόρος conſtantiſſimè & infracto planè animo perfunctus eſt. Non minùs crudele Martyrium fuit Guilhelmi Gardineri, cum veteribus Laurentiis, Cyriacis, Creſcentianis, Gordiis non immeritò comparati, ab eodem Foxo *pag.*203.&c.graphicè deſcriptum. Noſtra quoque ætate exercita in Pedemontio & Hibernia ſævitia,in excogitandis & irrogandis inauditis ſuppliciis novorum perſecutorum diritatem plus quàm belluinam arguit.

Lanienæ Hibernicæ inaudita crudelitas.

XXXIX. Et Hibernicam quidem lanienam,Phelimo Oneal, Eccleſiæ Pontificiæ Archiſtratego,die 23.Octobr.An.1641.cœptam, ex authentica publicorum Actorum, ab ipſis Monachis, accuratum lanienæ catalogum ſingulis menſibus exhibentibus,conſignatorum fide,paucis delineavit Author Gloſſæ Ordinariæ ad literas Circulares Alexandri VII.*pag.*17.18.&c. Summa huc redit: *Innumerabilis Chriſtianorum miſerorum multitudo, poſtquam omnibus ad cutim uſque*

que

quæ exuti & ſpoliati fuiſſent bonis, trucidata. Plerique ferro, multi ſuſpendio, ſubmerſione, vivicomburio, in templis, ædibus, aliiſq; locis occiſi: plurimi ſpirantes terra defoſſi: aliqui à canibus laniati, lapidibus obruti: alii ferventibus ahenis merſi: nonnulli carbonibus toſti, inteſtina per poſticum extracta, diſſecti ventres, evoluta viſcera, confracta funibus intortis crania, dorſum, brachia, crura, femora comminuta, vel abſciſſa: alii toto corpore cruentati, in ſuo ſanguine & frigore enecti: ſuſpenſi capillitio: impuberes ſecus parentum immolata cadavera, fletu, fame, inopia extincti, multis ex innocuo illo ſexu jam intermortua matrum ubera, morſu potiùs quàm lactendo appetentibus. Immiſſi porci, canes, aliáque animalia, tandem deglutientes, quod reſtabat, carnium, finem tantis miſeriis impoſuerunt. Ita occiſi, ita ſepulti ſunt. Multi ita ruptis artubus, ut loco ſe movere non poſſent, cùm herbarum circumcirca paſtu, vitam in triduum miſerrimè extraxiſſent, ab Hibernis ſpectatum & inſultatum venientibus, cùm mortem beneficii loco precarentur, nec impetrarent omnes, in locum herbidum alium delati ſunt, ut diutiùs inter acerrima tormenta viverent, ac oculos immanium belluarum, gratiſſimo ſpectaculo, aures horrendis clamoribus ſatiarent. Mulieres, dependentibus de cervice aut cingulo liberis, & ad majorem ignominiam canibus ſimul ac felibus appenſis, laqueo ſuffocatæ ſunt. Multi puteis ſubtus glaciem acti, ſubmerſi: alii mucronibus in mare & flumina protruſi; ac ſi qui ad litus aut ripam enatarent, eliſo cerebro, aut contis confixi, denuo aquis immerſi. Ædium, caſtellorum, templorum ruina, cæſorum inſepultis cadaveribus ſtipata. Cùm paucos terra tegeret, multi ſub ſtillicidiis, in foſſis hinc inde & plateis computreſcebant. Innoxia ætas, cui etiam hoſtis parcere ſolet, diſſectis carnibus, unco, velut in macello agmina, ſuſpenſi. Miſer nudo corpore aſſeri impoſitus, ab Hibernis ad ſingulos hauſtus, ſingulis vulneribus, ſed non penitus in mortem adactis, ita paſſim diffiſſus, ut continuum vulnus videretur. Quem deinde in fimum projectum dolor, fames, & aeris injuria extinxit. Alius adacto per poſteriora palo, ut altiùs infigeretur, velut per ludibrium circumſcarificatus, donec inter atroces convulſiones animam Salvatori ſuo redderet. Cæſi & in agro jacentis pudenda pueri tamdiu virgis loríſque flagellabant, donec raptis nervis & carne diſperſa membrum à reliquo corpore ſolveretur, quod ipſi arreptum, feſto clamore parentibus gratiſſimum munus exhibebant. Si fœmina cæſa, prono in terram ventre, jacuiſſet, eam in dorſum reſupinatam, omnibus membris, maximè quæ natura occulta eſſe voluit, taxabant. Concluſi arctiſſima intra ædes & templa cuſtodia, illis repentè ſuccenſis, lamentabi-

liter conflagrabant. In ipſo Templo ſectus quatuor in partes pater filiúſque, quorum ſegmina matris ſauciæ capiti impingebant. Nobiles Virgines, tota nocte capillitio de arbore ſuſpenſa, cùm orta luce aliquid in illis vitæ reſiduum deprehenderetur, protinus obtruncatæ. Tres orphani, quorum parentes priùs cæſi, cùm nudi & frigore pœne enecti in fornacem ſe abdidiſſent, ignibus immiſſis, immiſericorditer combuſti. Uxor gravida cum liberis vitæ conſultura, cùm terror fœtum ante tempus excuſſiſſet, illo à latronibus canibus devorato, ipſa cum cæteris obtruncata fuit. Duæ filiæ nudæ toto corpore, metu mortis, decrepitum parentem lacertis ſuis in paludes trahere adactæ, ubi & ipſæ ſubmerſæ perierunt. Uxor jugulare maritum, filius matrem, filia fratrem ſubigebatur: ipſam verò, velut ultimam victimam, latrones mactârunt. Plurimi Jeſu Chriſti ſervi ſubmerſi, decollati, manibus pedibúſque, cùm in genua procumbentes, ultimas ad Deum preces funderent, truncati: alii ſuſpenſi, ſuffocati, equorum caudis alligati & tractati, excarnificati, fame enecti, mille tormentis excruciati. Qui corpore obeſo erant, eviſcerati ſunt, ut ex eorum pinguedine lychni conficerentur. Vir pius terra, ſolo capite prominente, defoſſus, atque ita relictus, donec corvi & vultures oculos vivo eruerent, feræ beſtiæ reliquum abligurirent. Plurimi ſpirantes ſubtus terram defoſſi, quos inter unus cratibus & ſaxis depreſſus, cùm diu lamentabiliter fruſtra inclamaret, nec uxor pedibus capta eruere eum poſſet, faciem ægrè nudavit, & ut finem immenſis doloribus imponeret, ſtrophiolo ei ſpiritum intercluſit. Multorum plantæ ad lentum ignem toſtæ: alii ſecuribus diſſecti, funibus ſurſum deorſum per aquas raptati, nonnulli ſemineces relicti, vel ferro clauſi, donec membris putreſcentibus animam exhalarent. Oſſa & cadavera dudum in Domino defunctorum, tumulis eruta, projecta, viliſſimis locis, per fimeta, aggeres, fruticeta, campos ſparſa, disjectaq́;. Talia videlicet tigrides non Hircanæ, ſed Hibernæ Pontificiæ deſignârunt in fidelibus Chriſti Confeſſoribus, quorum in Regno illo paucorum intervallo menſium ultra ducenta millia variis illis ſuppliciorum generibus letho data ſunt.

Tragœdiæ Pedemontanæ nuperæ narratio ex Morlando.

XL. Jam & tragœdiam paucis retro annis in Pedemontio à novis Canibalibus adverſus Evangelii Confeſſores ab ævo conſtantiſſimos, vaniſſimo rerum minùs civiliter geſtarum prætexto, uti in publicum jam conſtat, inſtitutam quis cogitans, & tàlia fando temperet à lachrymis? Ex Morlando eam paucis Celeb. Hornius *Hiſtor. Eccleſ. pag. 346.* &c. his verbis delineat: *Nunquam à Diocletiani temporibus par crudelitas à Chriſtianis in Chriſtianos patrata legitur. Nam*

ut

ut pauca tantùm ex multis referam, capita Barbetis (ita Reformatos in Pedemontio vocant,) *præciſa & ahenis excocta devorârunt: Fœminis diſſectis incurvis ſilicibus ventres umbilico tenus; aliis exſecta ubera, quæ igne frixa devorârunt. Naturalibus præciſis ardentem candelam admoverunt, ungues candentibus forcipibus evulſerunt, ſemimortua corpora caudis beſtiarum alligata ad mortem per aſpera raptârunt. Leve hoc videbatur, præcipitare ab altiſſimis rupibus, ubi ſæpe corpora ſemiviva arboribus implicata hæſerunt, nullo ob inacceſſa locorum auxilio, donec lenta morte, fame, vulneribus, frigore animam inter mille tormenta exhalarent. Conciſi in minutas particulas, & per campos diſperſa Abſyrti inſtar membra. Multis caro oſſe tenus exciſa, & pulmentorum inſtar contuſa. Puellis adacta per naturalia collo tenus longa & acuminata pertica, quas impius miles, ut vexilla ſolent, humeris ſublata, ſpectaculo circumgeſtabat. Johannem Pelanchion Villarienſem juvenem, crure funibus alligato, totum per plateas Lucernæ aſperrimis conſtratas ſilicibus circumraptârunt, & ſi quando ingentibus doloribus victus manus capútque elevare conaretur, ſaxis contuſus fuit: tandem exſectis virilibus & in fauces intruſis ſpiritum ei interclu ſerunt, amputatóque capite inſepultum truncum ad ripam fluminis abjecerunt. Infantes ex cunis raptos manibus dilacerârunt; puellas vivas haſtis alligatas ad ignem aſsârunt, & exciſis uberibus deguſtarunt. Alias manibus ad naturalia alligatis funibus ſuſpenderunt penſiles, immani & incredibili cruciatu. Aures, nares & alia corporis abſcindere, ora pyrio pulvere implere, & eo incenſo capita confringere, pudenda oribus intrudere, & vivos excoriare, pellem quadripartitam feneſtris Lucernæ prætendere, decollare, excerebrare, & cerebrum frixum devorare, corda pectoribus evellere, vivos comburere, concidere, ſuffocare aquis, faciem exſcindere, id verò vulgare videbatur. Sed hoc dignum tantis Catholicis, quod Garcigliana in furnum Nebucadnezaris inſtar igne flammantiſſimo candentem undecim VValdenſes conjecerunt, adactis miſeris, ut unus alterum in ignem præcipitaret, donec ipſi latrones ultimum adjicerent.* Talia videlicet (quibus feralis laniena Rhætica Volturenenſis die 19. Jul. An. 1620. Antonio Paravicino duce patrata, nimis proh dolor! nota, addi poteſt) in Chriſtiano orbe à Chriſtianis, & quidem, ut videri volunt, Catholicis Apoſtolicis Romanis in Chriſtianos Reformatos, Principibus ſuis fidiſſimos, ſolo Religionis odio, & quòd latrones Papæ gratum ſe officium præſtituros, vitámq; æternam abſq; Purgatorii flammis ſe conſecuturos (id enim Monachi ſanguinolenti in Hibernica laniena disertè promittebant)

confiderent,commiſſa graviorem juxta S. Auguſtini vaticinium ſupra allatum, ſub Antichriſto, quàm Gentilibus perſecutionem flagrare, nequicquam Bellarmino de Pontificibus ſuis renitente, non jam loquuntur,ſed propemodum clamant.

Tribunal piorum Martyrum, Inquiſitio Romano-Hiſpanica.

XLI. Taceo nunc Pontificiæ dominationis apicem,ſeu,uti Paulus IV. apud Suavem Polanum *Hiſt. C. T. lib. 5.* inſigniebat, *Pontificatus Romani præcipuum nervum & arcanum*, Martyrum Chriſti inexorabile tribunal,horribilis videlicet immanitatis *Inquiſitionem*, per Fratres potiſſimùm Dominicanos, alteros veluti Rhadamantos, exerceri ſolitam, quæ ut primùm comperit, aliquem in quodam Fidei capite à Romana Eccleſia diſſentire, ſanguinaria quadam diſputandi ratione, & tortoribus carnificibúſque magis, quàm doctoribus Eccleſiæ,Pontificibúſque conveniente, confeſtim ei Syllogiſmum opponit, ex igne, aqua aut laqueo confectum, qui fortiùs quàm qui primæ Figuræ, & modi *Barbara* & *Ferio* dicuntur, concludat, & ubi mors neceſſariò concluſionem ingrediatur. Perverſam & præpoſteram judicii, quod in Jurisdictione illa adverſus Sanctos Chriſti Martyres contra naturalem æquitatem,legitimúmque omnem ordinem explicanda obſervatur, nec non ſuppliciorum horrendam immanitatem,totiúſque adeò Inquiſitionis, ceu Phalaridis tauri, hiſtoriam plusquam tragicam, & vivam ex Dei verbo anatomen, alibi ξὺν θεῷ explicatiùs tradere & repræſentare animus eſt. Adeò certè omnium reliquorum tribunalium & iniquitatem & crudelitatem ſuperat, ut S. Martyres nonnulli (exempla Conſtantini Hiſpalenſis præconis, & Olmedi Martyrologium Magnum *p. m.* 1012. inducit) humili prece vota ſua coram Deo effundentes, Turcis, Scythiſque & ſi qui alii in mundo ipſis Canibalibus immaniores reperiuntur, quàm Cyclopibus illis, ſanctis ſcilicet Inquiſitionis Hiſpanicæ Patribus divexandi & lancinandi,objici flagrantiùs optaverint. Et arcana ejusdem facinora, præter publicas interneciones toti jam orbi utcunque notas, decretorius ille dies Domini in apricum pleniùs quandoque producet.

Ad Martyrium non ſufficit pœna, ſed requiritur cauſa.

XLII. In confeſſo porro eſt, ut ad id, quod Martyrium propriè conſtituit, explicandum ſermo noſter procedat, non *pœnam*, ſed *cauſam* facere Martyrem. Idque S. Petrus 1. Ep. cap. IV. 15. 16. his verbis apertè docet: *Ne quis veſtrûm patiatur ut latro, vel fur, vel maleficus, aut alienarum rerum inſpector. Si verò* (patitur) *tanquam Chriſtianus,ne erubeſcat,ſed glorificet Deum hac in parte.*

Et

Et cap.II.20. *ποῖον γὰρ κλέος, quæ enim gloria eſt, ſi peccantes & colaphis cæſi toleretis? At verò ſi benefacientes & patientes toleratis, hoc gratia eſt apud Deum*, id eſt, hoc illud eſt, in quo Deus habet חפץ *voluptatem*, quod is approbat tanquam actum fidei, charitatis, gratiarum actionis, glorificationis ſui, Joh. XXI.9. vel, id munus eſt *gratiæ*, amoris, charitatis Dei. Non quælibet patientia igitur Martyrem facit, ſed *ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ patientia boni operis*, Heb. XII.7. Illud autem *bonum opus* eſt, quod ex fide & amore Dei ſuſcipitur ſecundum verbum Dei in bona conſcientia. Meritò igitur S.Paulus 1.Cor.XIII.3. *Ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ὠφελοῦμαι. Si corpus meum comburendum tradidero, charitatem verò non habeam, nihil proficio.*

XLIII. Idem etiam S.Patres paſſim urgent. S.Auguſtinus Epiſt. 61.& 106. *Diſputando & ſcribendo oſtendimus, hæreticos non poſſe habere Martyrum mortem, quia Chriſtianorum non habent vitam, cùm Martyrem non faciat pœna, ſed cauſa.* Idem *de Correct. Donat. cap.7. Ipſe Dominus cum latronibus crucifixus eſt. Sed quos paſſio jungebat, cauſa ſeparabat. Ideo in Pſalmo XLIII.1. vox illa intelligenda eſt verorum Martyrum, volentium ſe diſcerni à Martyribus falſis. Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Non dixit: Diſcerne pœnam meam*, ſed, *diſcerne cauſam meam.* Et in Pſalm. 68. *Laus Martyrii eſt in cauſa bonitate, non in pœnæ acerbitate.* Alibi lib. 1. contra Panormit. *Non ex paſſione*, inquit, *certa eſt juſtitia, ſed ex juſtitia paſſio glorioſa.* S.Cyprianus *de Simplicit. Prælat.* nec non *Epiſt.1. ad Cornel.* aſſerit, *in Schiſmaticis, qui extra Eccleſiam occiſi fuerint, nominis Chriſti confeſſionem, fidei coronam non eſſe, ſed pœnam potiùs eſſe perfidiæ.* Gregorius M. *lib.18. in Job. cap.14.* ſimiliter: *Quisquis extra veritatem Eccleſiæ patitur, pœnas pati poteſt, Martyr fieri non poteſt.* Chromatius Diſſert. in cap. 5. Matth. *In qua ſignificatione Martyres maximè declarantur, qui propter juſtitiam, fidem & nomen Chriſti perſecutiones in ſeculo ſuſtinent.* Hinc adeò curæ cordique fuit veris Martyribus, ut palam omnibus facerent, non propter ſcelus aliquod ſe pati, ſed ob confeſſionem nominis Chriſti. Cujus rei exemplum habetur tum in Uſthazane, Regis Perſarum educatore, apud Sozomenum *lib.II.6.* tum in Martyre illo, cui Sancto nomen, qui ad interrogata omnia reſpondebat: *Chriſtianus ſum*, Euſebio *Hiſtor. Eccleſ.V.1.* narrante: tum in Anna Burgio, Martyrii ſui ſpecta-

Teſtimoniis veterum idem aſſeritur.

Martyrum profeſſio.

ſpectatoribus dicente: Non ego hic ſum *ut latro & homicida, ſed Evangelii cauſa:* tum denique in infinitis aliis.

Cauſa Martyrem faciens eſt cauſa Chriſti, tanquam juſtitiæ & Salvatoris unici credentium.

XLIV. Cauſa autem illa, quæ Martyrem facit, eſt cauſa *Chriſti*, ſeu Confeſſio Chriſti vera fide recepti, tanquam Salvatoris & juſtitiæ peccatoris unicæ. Unde S. Martyres in mortem tradi dicuntur *διὰ Ἰησοῦν propter Jeſum*, 2. Cor. IV. 11. & eorundem Martyrium vocatur *μαρτυρία Ἰησοῦ teſtimonium Jeſu*, hoc eſt, teſtimonium de Jeſu Salvatore unico, Apoc. I. 2. 9. XII. 17. XIX. 10. XX. 4. Et qui patitur Martyr, pati debere dicitur *ὡς Χριστιανὸς tanquam Chriſtianus* 1. Pet. IV. 16. hoc eſt, tanquam *μαθητὴς Χριστιανός Chriſti diſcipulus* Act. XI. 26. Chriſti *amicus* 1. Cor. XVI. 22. Chriſti ſectator, ei confidens, & in ipſo glorians Phil. III. 3. Chriſtus quoque Matth. V. 10. docet, Martyrem eſſe *δεδιωγμένον ἕνεκεν δικαιοσύνης, qui perſecutionem patitur propter juſtitiam*, ſeu propter doctrinam, confeſſionem & proſequutionem veræ, & abnegationem redargutionémque falſæ juſtitiæ. Denique S. Johannes Apoc. XX. 4. teſtatur S. Martyres *πεπελεκισμένους ſecuri percuſſos* eſſe *διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, καὶ διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ob teſtimonium Jeſu, & ob ſermonem Dei*, verbum Dei θεόπνευστον Moſis Prophetarum & Apoſtolorum, ejúſque præcepta, à quibus divelli ſe adeò non paſſi ſunt, ut ſanguinem etiam ſuum profundendum perſecutoribus exponere maluerint.

Declaratio ejus rei uberior.

XLV. Liquet hinc, doctrinam illam, ob cujus confeſſionem Martyres fiunt, eſſe doctrinam de Chriſto, unico mundi Salvatore & juſtitia, adeóque omnem illam veritatem, ſine cujus fide & confeſſione Chriſto honos unici Salvatoris & juſtitiæ credentis conſtare non poteſt; denique in univerſum omnem *λόγον τοῦ Θεοῦ ſermonem Dei*, ſeu verbi Divini revelati veritatem, de qua quis per Spiritum Dei πιστωθῇ certior redditus eſt, ſive ea *fidem*, adeóque articulum fidei ſeu fundamentalem ſeu non fundamentalem, de cujus tamen Divina veritate & authoritate certa perſuaſio animo credentis inſidet (hujus enim πιστωθέντος, qualecunque etiam momentum habeat, abnegatio cum ipſius verbi Divini abnegatione conjuncta eſt) ſive etiam *vitam*, mores & πολιτείαν homine Chriſtiano dignam, utpote ſine qua Chriſtus haberi & Chriſtianus aliquis eſſe nequit, & quæ & ipſa *juſtitia* eſt, ſine qua conſcientia ἀπρόσκοπος retineri nequit: quæque denique verbi Divini teſtimonium, cui omnibus modis atteſtandum, habet; concernat. De ritibus Divinis neceſſariis & immutabilibus idem judicium eſt. Neque etiam refert, an

qui

qui pro tali doctrina patitur, rudis & ſimplex ſit, eámque diſputando tueri adverſus hoſtium Sophiſticam poſſit, nec ne, dummodo de veritate fidei verbi Divini authoritate ſit πληροφορηθεὶς plenè firmitérque perſuaſus. Meritóque laudata eſt vox plebeii Martyris, Sophiſtis hoſtibus ita reſpondentis: *Non poſſum pro fide diſputare; poſſum pro ea mori.* Quin plerique olim Martyres ἰδιῶται ἦσαν ἢ στρατιῶται *privati homines, gregariíque fuerunt*, inquit Theodoretus *Serm. 9. de legibus.* Ita contingere poteſt, ut qui quoad notitiam fidei eſt νήπιος ἐν Χριστῷ *puer in Chriſto* (1.Cor.III.1.) quoad fiduciam tamen & zelum ſit ἀνὴρ τέλειος, *Vir perfectus.* Imò etiam infantes fidelium propter Chriſtum occiſos in Martyrum numero vetuſtas retulit. Ita Bethlehemiticos infantes *in honorem Martyrum receptos Eccleſia commendat*, inquit S. Auguſtinus *de lib. Arbit. lib. III.* 23. qui, uti Ambroſius *de Offic.* 1.41. loquitur, *ante palmam victoriæ acceperunt, quàm ſenſum naturæ.* Et Prudentius in *Hymn. Epiph.* eos tanquam *flores Martyrum, ante aram palma & coronis ludentes* eleganter canit. Nimirum *habemus*, inquit Bernhardus in *nat. S. Innoc.* in B. *Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem: ſolam voluntatem in B. Johanne: ſolum in Beatis innocentibus opus.*

An Martyr eſſe poſſit rudis & ſimplex?

An infantes?

XLVI. Cùm igitur cauſa Chriſti Martyres faciat, planum eſt, Martyrum in numero neutiquam cenſeri poſſe, qui propter magiam & fœdus cum Diabolo patiuntur: qui Enthuſiaſtarum deliriis ſanguine ſuo litant: qui pro poteſtate injuſta Papæ mortem oppetunt: qui hæreſeos, ſchiſmatis excitati, perduellionis, perturbationis ſtatus, patricidii, impietatis, injuſtitiæ convicti rei pœnas luunt: qui religionis cauſa, vel obtentu ſe ipſos Baalitarum & Circumcellionum more flagellant, lancinant, occidunt: qui denique ſpe veniæ & vitæ impetrandæ, aut ut hæreditati vel poſteris conſulant, & quacunque demum ratione fidem abnegant, ſive apertè, ſive obliqua ratione, quo in cenſu olim fuerunt, qui dicti ἀρνεῖν, ἀπειπεῖν, ἐξομνῦσθαι, βλασφημεῖν: nec non Sacrificati, thurificati, libellatici, traditores, lapſi &c. quos Albaspinæus *Obſervat. Eccleſ. lib. I.* 1. Ludovicus de La Cerda *Miſcell. pag.* 308. Baronius *ad An.* 253. *ſi.* 11. Pamelius *Notis ad Cyprian.* aliíque ex Patrum ſcriptis explicant. Meritò etiam Thuanus *Hiſtor. lib.* 18. *ad A.* 1557. reprehendit Paulum IV. Pontificem, qui in ſummis anguſtiis, non ſuccedente bello, quod ipſe & Nepotes in Italia accenderant, metuénſque, ne victores Hiſpani in ipſum ſævirent, crudeliſſimè, in Cardinalium conſeſſu hæc verba

Oppoſita Martyrii.

F uſur-

uſurpaverit; *cupere ſe eſſe cum Chriſto, eóque animo Martyrii coronam intrepidè expectare. Quaſi*, ait Thuanus, *hîc Dei cauſa ageretur, & non ob bellum non minùs temerè quàm ambitioſè à ſuis ſuſceptum hoc illi periculum crearetur.*

Martyres non ſunt in bello juſto, etiam religionis gratiâ ſuſcepto, cœſi: nec virginitatis ſtatum amplexi.

XLVII. Neque etiam Martyrum numero accenſendos putamus vel eos, qui in bello juſto, religionis etiam adverſus infideles vel hæreticos tuendæ gratia ſuſcepto occumbunt, quia, uti Thomas à Jeſu *lib. V. de convers. Gent. part. 3. dub. 1.* ſcitè arguit, *potiùs quærunt inferre, quàm ſufferre tormenta*; ſecus quàm Nicephorus Imperator A. 964. lege ſanxit, ut omnes milites à Saracenis cœſi inter Martyres numerentur, Curopalate in ejus hiſtoria teſte; & Pontifices Cruciatis ſuis eundem Martyrii honorem promiſerunt: vel eos, qui in ſtatu virginitatis vitam agunt, & contra libidinis faces pugnant, quorum virginitatem nequicquam Martyrium faciunt Pontificii, cùm veræ virgines animo & corpore illibatæ nec patiantur mortem vel violentam externam, vel uſtiones, cruciatus & tormenta interna, utpote quæ juxta Apoſtoli monitum 1. Cor. VII. 9. ſancto matrimonio profliganda ſunt; nec patiantur propriè in cauſa Chriſti magis, quàm qui contra alios affectus & cupiditates depugnant: vel eos denique, qui aliis inſerviendo per charitatem mortem ſibi conſciſcunt, quos Martyres *charitatis* ſeu *miſericordiæ* nonnulli nuncupant.

Martyrium per peſtem refellitur.

Cujus generis eſt *Martyrium per peſtem*, de quo in Papatu inde à Seculi hujus anno XLVII. graviter diſputatum, propter librum iſtius argumenti, ſeu Diſputationem Theologicam de *Martyrio per peſtem*, editam authore Theophilo Raynaudo, qui ſententiæ ſuæ varios quidem ſectatores habuit. Oppugnata tamen eadem eſt à Thoma Hurtado, *lib. Reſolutionum de vero Martyrio*, & condemnata etiam à Congregatione Cardinalium ſuper Indice librorum prohibitorum. *Nos autem*, ita Celeb. Voetius *Polit. Eccleſ. p. 2. lib. 1. Tract. 3. cap. 6.* ἐπιχείρεται, *otioſæ hujus altercationis ſpectatores ſumus, & verbo dicimus, eſſe meram* λογομαχίαν, *ſeu luſum in voce Martyris; quæ metaphoricè aliquando aut catachreſticè de quolibet charitatis & fortitudinis actu tum interiori, tum exteriori uſurpatur, quo pro aliis pericula adimus, nos ipſos vincimus, & contra Diabolum, mundum, carnem noſtram fortiter pugnamus.* Teſtimonium Dionyſii apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. VII.* 16. 17. nec non Martyrologii Romani *ad* 28. *Febr.* quo Raynaudus nititur, ita diluit idem, ut oſtendat, illud potiùs ad πάθη, quàm λόγους & doctrinam

refe-

referendum: & Euſebium quidem uti voce *δοκεῖν videri* mortem talem nihil à Martyrio abfuiſſe, non propriè Martyrium fuiſſe, aſſerere: Martyrologium verò non Martyres vocare, ſed *velut* Martyres tales in Eccleſia coli, dicere.

Ad Martyrium cauſæ bonæ comes fidelis conſtantia, & patientia requiritur.

XLVIII. Neque etiam ad conſtituendum verum Martyrium ſufficit ſola cauſa Chriſti; ſed cauſæ ejus comes fidelis tolerantia & conſtantia Martyrem *νομίμως ἀθλοῦντα legitimè certantem*, adeóque Deo gratum ſalvúmque facit. Ita Chriſtus Matth.X.22. *Eritis exoſi apud omnes propter nomen meum.* Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. *Qui verò ſuſtinuerit usque ad finem, ſalvabitur.* Luc.XXI.19. Ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. *In patientia veſtra poſſidete animas veſtras.* Hebr.X.36. *Patientia vobis opus eſt, ut voluntatem Dei facientes, promiſſionem aſſequamini.* Clarè S.Jacobus cap.I.12. *Beatus vir, qui ſuſtinet tentationem. Nam cùm exploratus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Dominus diligentibus ſe.* Denique Filius Dei Apoc.II.26. Ὁ νικῶν καὶ τηρῶν ἄχρι τοῦ τέλους τὰ ἔργα μου *qui vincit & ſervat ad finem usque opera mea, dabo ei poteſtatem in gentes.* Olim Hercules, cùm ad ſolvenda Promethei vincula proficiſceretur, Oceani longitudinem in poculo figulino emenſus eſt. Quæ viva imago eſt conſtantiæ Martyrum, qui infragili carnis teſta, per fluctus perſecutionum undique circumfuſos navigant, donec ad cœleſtis vitæ portum, fracta tandem corporis caduci teſta, feliciter eluctentur. Fides eorum & virtus cubi inſtar (juxta Simonidæ dictum) ad omnem fortunæ adverſæ motum firmiter & infracto animo reſiſtit.

Patientia vera Martyrum à falſa Pſeudo-Martyrum diſtinguitur.

XLIX. Aliud tamen eſt patientia, aliud furor: aliud vera patientia, adulterina aliud: denique aliud conſtantia, aliud αὐθαδεία ſeu pertinacia. Magna certè patientiæ exempla videmus primùm in hominibus ſceleratiſſimis; deinde in hominibus planè barbaris & omnis religionis planè expertibus; denique in iis etiam, quos Diaboli vel ſuæ gloriæ Martyres faciunt. At præterquam quòd vera patientia eſt ὑπομονὴ καλοῦ ἔργου, *patientia boni operis*, Rom.II.7. & verum Martyrium cum fideli tolerantia ſociatam habet bonitatem cauſæ Chriſti: ſancti Martyres procul etiam habent cauſas pertinaciæ, quales ſunt tum *animi morbus*, ortus ab atra bile, quâ qui perciti ſunt, furunt, & fiunt ἰσχυρογνώμονες, duræ cervicis & pertinaces, niſi quòd furori patientia quædam prætexitur: tum *conſuetudo* quædam barbara, altera veluti natura & ſævus tyrannus,

in qua, & ad quam qui nati & educati ſunt, præſertim ſi barbaro ſint ingenio, evadunt à vita civili, & ab eo cultu ac vitæ elegantia, quam humana ratio exigit, uſque adeò alieni, ut brutorum potiùs quàm hominum vitam agere videantur; quomodo Toupinambaultii & Indi non tantùm patiuntur ſe rotis imponi, ſed ſe vivos ad modulamina tibiarum præcipitant: tum denique animi *ferocia* & *gloriæ cupido*, qua cæco naturæ inſtinctu incenſi miros cruciatus magna, uti videtur, conſtantia perferunt. At hujuſmodi Martyrum verorum patientia non fuit: nec à talibus omnino cauſis profecta eſt. Non enim illi *atra bile* agitati & πικρόχολοι fuerunt, cùm eorum vitæ inſtitutum uſque adeò ſedatum & compoſitum fuerit, uti eorum & vita & ſcripta teſtantur: & ſingularis humanarum rerum, earum inprimis, ſine quibus nullus cœtus ſtare poteſt, peritia iis illuxerit, coactis etiam capitalibus veritatis hoſtibus, ut nihil in iis præter conſtantiam in aſſerenda cauſa culpaverint; multi quinetiam pueri & puellæ in tenera illa ætate, quæ atra bile tentari non ſolet, non reluctantes & inviti, ſed ultro & ſponte, quando res poſcebat, vocati à Deo & invitati, Deo obſequi non detrectaverint Neque etiam barbaræ *conſuetudini* illorum patientia imputari poteſt, cùm plerique omnes in Republica non barbara educati ſint, & doctrina Chriſtiana illis non ulla conſuetudine, ſed Divina verbi revelatione commendata, quin pleriſque etiam initiò novitia, & eo nomine etiam primùm exoſa iis fuerit. Denique nec *ferocia & arrogantia* illis patientiæ cauſa fuit, utpote qui præteritæ vitæ pietatis, ſtudii generis humani, modeſtiæ & manſuetudinis exemplum tam verum ediderunt, ut ne in atrociſſimis quidem ſuppliciis ἔυτονοι καὶ ὁμαλοὶ ſibi *ſimiles*, & ἀναμφιβόλως ἀκύβδοτοι eſſe deſierint, & Smaragdi inſtar nirorem ſuum retinuerint ſemper. Et ut potuerit fortè unus & alter mimum peragere, & Martyrem æmulari ementiríque: at inter frequentiſſima exempla Martyrum noſtrorum, adeóque frequentia, ut citiùs torquendo carnifices, quàm patiendo Martyres defeſſi fuerint, priúſque tortores immanium ſuppliciorum piguerit, quàm Martyres patientiæ ſuæ pœnituerit, non poteſt hujus generis mendacium eſſe vulgatum, multíſque commune. Non ergo alia Martyrum patientiæ cauſa excogitari poteſt, quàm timor Dei, & amor gloriæ ejus ac veritatis. Adeò ut cum S. Apoſtolo rectè profiteantur: Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς. *Amor Chriſti conſtringit*

ſtringit nos,2.Cor.V.14. Qualis patientia quin genuina, Deóque accepta ſit, dubitari nequit.

L. Quòd ſi longam patientiam conſtantiámque animi calamitatibus & cruciatibus nullis depreſſi immotam, adeóque liquidò exploratam, mors denique ſive pudore perſecutorum, ſive alias ob cauſas non excipiat, nihil id veritati & honori Martyrii ſuperſtitibus derogare, jam ſupra *Ss.VIII.* piam Antiquitatem aſſerentem obſervavimus. Tales enim *δόκιμοι γενόμενοι explorati reperti* plenâ voluntate, licet opere aliunde impedito, perfuncti cenſentur. Unde S. Athanaſius *Synops. Script.* dicit, Danielem narrare *περὶ τῆ μαρτυρίου de Martyrio Sadrach, Meſach & Abednego*, licet mortui non ſint. Et de iisdem *Orat.* 3. *contra Arianos* ita loquitur: Οἱ ἐν Βαβυλῶνι γενόμενοι Μάρτυρες, *Martyres illi Babylonii Ananias, Azarias, Miſael.* Huc faciunt verba Martyrologii Romani d. 6. Maji de S. Johanne Apoſtolo in oleum fervens miſſo: *Romæ*, inquit, *ſancti Johannis ante portam Latinam, qui ab Epheſo juſſu Domitiani vinctus Romam perductus, & judicante Senatu, ante eandem portam in olei ferventis dolium miſſus, purior & vegetior inde exiit, quàm intravit.* Extat etiam Cypriani Epiſtola nona ad Martyres vivos & Confeſſores. Concilio quinetiam Carthaginenſi, quod Cypriano Præſide celebratum eſt, Martyres quidam adfuerunt, & ſuffragia dixerunt.

Martyres ſunt etiam qui patientiâ liquidò exploratâ non occiduntur, ſed morti præripiuntur.

LI. Et quis, amabò, verorum Martyrum nomen & omen invideat iis, qui (ut exemplo præſentiſſimo rei huic lucem fœneremur) ficti criminis prætextu in jus vocati, ab infenſiſſimo judice cauſæ Chriſti vadimonium ultro deſerere, Baſilicas ſponte tradere juſſi, cùm ob timorem Dei id illis non liceret, & libellis ſeu Albo prævaricatorum in cauſa Dei, vel Apoſtatarum nomina ſua dare conſtanter renuerent, capitis & fortunarum latâ decretoriâ ſententiâ damnati, pars præter locum ſupplicii, ſtipante carnifice rapti, ſuperato jam mortis terrore & amaritudine victa, ut lentioribus pœnis ad perſecutorum libidinem inflecti, & ad prævaricandum in cauſa Chriſti ſubigi poſſent, velut ex morte revocati, in carceres fœdiſſimos, ſqualidiſſimos compacti, duriſſimis compedibus & pœne ἀβαστάκτοις conſtricti, dira fame, ſiti, frigore, laboribus pœne intolerabilibus, fœdiſſimis quinetiam & ſpurciſſimis; verberibus ſanguineis, nefandis opprobriis, quibus non tam ſe, quàm Chriſtum & innocentem religionem proſcindi & lancinari animo triſtiſſimo audiverunt, excruciati & pœne enecti; poſt integrum plus annum

Exemplum Martyrii talis illuſtre indigetatum.

per calamitates ejuſmodi concatenatas & inſidias quæſitiſſimas conſtantiæ illorum ſtructas extractum, ne quid ad barbaram crudelitatem deeſſet, per remotiſſima aſperáque itinera inter militum ſibi, ac inprimis vivo Deo Iſraëlis nefariè illudentium, ad ſanguinem uſque uberrimè profluentem cœdentium catervas, graviſſimis compedibus vel vincti vel onerati, increpando perpetim, tundendo, vires corporis gravi adeò itinere fractas objurgando, ſervilibus verberibus ſine fine & modo propulſando, miſerrimè raptati, teterrimo triremium ſupplicio affecti, precarium inter infidelium blaſphemias, ante oculos patrata inquinatiſſima à barbaris & *ἀπηλγηκόσι* ſcelera, immaniſſima; quotidianum veluti cibum, verbera, exactos crudeliter labores pluſquam ſerviles, ſpiritum ducentes, mancipiorum profligatiſſimorum exempla noviſſima ſuſtinuerunt, & tanquam *πρόβατα σφαγῆς oves mactationi destinata*, *ὡς ἐπιθανάτιοι*, *ceu morti destinata* piaculares victimæ, *θέατρον τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις theatrum mundo, Angelis & hominibus* facti ſunt; donec conclamata ferè apud homines ſalute, poſt menſes decem in famoſis triremibus illis, & plures ab aliis etiam in infernali velut carcere toleratos, fide ipſorum omnibus jam contumeliis, calamitatibus, minis, ſuppliciis majore & excelſiore, &, tanquam Marpeſia caute, ventos, ictus, procellas, fluctus omnes ridente, contemnente, ſuperante; liberatione tandem miraculo proxima, ex intoleranda ſervitute ſoſpitati in libertatem (ſi libertas eſt triſte exilium, continuáque à patria, Eccleſiis, charitatibus avulſio) aſſererentur. Diceres, novum hoc (uti fœcundum in excogitandis ſuppliciis eſt perſecutorum, Lojolitarum inprimis, ingenium) inſolentiúſque eſſe Martyrii genus, quo morte ipſa gravior pœna ſancitur, *non occidere* fideles Chriſti teſtes, ut delaſſatâ longis diverſíſque cruciatibus illorum patientiâ, & victâ tandem conſtantiâ de fide & virtute illorum, ſine ullis, quod ajunt, feriis multiplicium formas ſuſtinente diſcriminum, lætiſſimum triumphum hoſtes *ἀπάνθρωποι* agere poſſint. Sed benedictus Deus אל למושעות *Deus ad ſalutes* (Pſal. LXVIII. 21) qui ſe ne in tali quidem tentatione fideles ſuos deſerere, & quamlibet *πύρωσιν* ſeu ignitam Sanctorum ſuorum probationem, ad optatam tandem cataſtrophen perducere poſſe, eximium gratioſúmque documentum dedit.

Ad martyrium poſt patientiam

LII. Poſt cauſam & patientiam in Martyrio cumprimis fides & charitas requiritur. *Sine fide* quippe *nihil Deo placere* poteſt, Hebr.

Hebr. XI.6. Et *quicquid ex ea non fit, peccatum eſt.* Rom. XIV. 23. Sed & charitatis tanta neceſſitas eſt, ut ſi quis ea deſtitutus maximè corpus comburendum offerat, ea res ipſi nihil profit, diſertè teſtante Apoſtolo 1. Cor. XIII. 3. Rectè igitur Cyprianus *de Simplic. Præl.* ſcribit: *Exhibere ſe non poteſt Martyrem, qui fraternam non habet charitatem. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Tertullianus *adverſus Prax.* ſimilia habet: *Praxeas,* ita ille, *de jactatione Martyrii inflatus, ob ſolum & ſimplex breve carceris tædium, quando & ſi corpus ſuum tradidiſſet exurendum, nihil profeciſſet, dilectionem Dei non habens, cujus chariſmata quoque expugnavit.* Optatus quoque *lib. III. contra Parmen.* contra Donatiſtas Martyres ſuos jactantes: *Videte,* inquit, *annon aliquid aliud quàm Martyres appellari mereantur, qui charitatis deſertores, pro eadem deſertione pati aliquid potuerunt.* Rectè hinc conficitur, nec hæreticum, nec ſchiſmaticum Martyrii corona redimiri poſſe. Ille enim & fide & charitate: hic charitate erga Eccleſiam deſtituitur. De Novatiano Schiſmatico ita Pacianus *Epiſt. 2. ad Sympron.* loquitur: *Etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus, non tamen etiam occiſus: etiamſi occiſus, non tamen coronatus. quidni? Extra Eccleſiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet eſſe, qui Martyr eſt.* Cyprianus quoque de Unit. Eccleſiæ: *Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Idem eodem libro: *An ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis Chriſti fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. Ad regnum pervenire non poteſt, qui eam, quæ regnatura eſt, dereliquerit.* Plura vide ſupra Ss. XLIII. Intelligenda tamen hæc non de quolibet ſchiſmatico, ſed de eo, qui diviſionis author & coryphæus eſt, vel notoriè contra charitatem peccat. Alia certè ratio ejus, qui parti diviſæ ſimplici errore & infirmitate adhærens, pro communi cauſa & veritate fidei occiditur, quem verum Martyrem eſſe non negamus. Liquet id ex ſchiſmate Antiocheno inter Meletium & Paulinum, qui in ſchiſmate perſtiterunt. Et Meletium quidem O-

riens,

fides, charitas requiritur.

Proin hæretici & ſchiſmatici Martyres eſſe non poſſunt.

riens, Paulinum Occidens defendit. Ubi partis alterutrius ſchiſmaticæ aſſeclas occidi ſimul & coronari potuiſſe, inficias ibit nemo.

Denique lætitia ſpiritualis, gloriatio in afflictionibus, & gratiarum actio.

LIII. Denique cum cauſa Chriſti, & fideli tolerantia, inconcuſsáque conſtantia & charitate conjuncta eſt apud Martyres *lætitia ſpiritualis, gloriatio* in afflictionibus, & *gratiarum actio*. Tametſi enim illi ob peccatorum, quibus extra Martyrii cauſam obnoxii ſunt, & meritorum ſenſum, mortíſque & cruciatuum naturalem horrorem non poſſunt non contremiſcere, omnémque doloris & acerbitatis ſenſum non ejerant; neque etiam conſpicua foret illorum patientia, niſi in cruce dolore torquerentur, & angerentur moleſtia; adeóque aliud longè eſt ἀπάθεια, dura torvitas & immobilitas Stoicorum veterum & recentiorum, *qui ex patientia ſtuporem, ex homine forti & conſtante ſtipitem faciunt*, uti Calvinus Inſtit. *lib. III.* 8:10. illis exprobrat; aliud patientia fidelis Martyrum: tamen fiduciâ in Chriſto, & cauſæ bonitate collocatâ, collectóque ſpirituali ſenſu גלו ברעדה *exultant cum tremore*, Pſal. II. 11. incredibilíſque ob amorem Dei & repoſitam ſibi mercedem gaudio delibuti ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι. καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι, *in omnibus afflicti, at non coarctati: ambigui, ſed non prorſus hæſitantes: perſecutionem paſſi, ſed non derelicti: proſtrati, ſed non perditi* (quibus verbis Chriſtianam patientiam S. Apoſtolus 2. Cor. IV. 8. 9. deſcribit) in Dei gratia ſuaviſſimè denique acquieſcunt. Hinc S. Paulus de ſuo Martyrio Phil. II. 17. 18. Ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, χαίρω. *Si etiam liber ſuper ſacrificio & cultu fidei veſtræ, lætor, & cum omnibus vobis lætor.* Et Chriſtus Matth. V. 12. eos, qui propter ſe perſecutionem patiuntur, jubet χαίρειν καὶ ἀγαλλιᾶσθαι *lætari & exultare*. Paulus iterum Col. I. 11. commendat ὑπομονὴν μετὰ χαρᾶς *patientiam cum gaudio*. Et S. Jacobus cap. I. 2. πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, *omnem lætitiam ducite, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*. Rebus ſuavibus oblectari aliqua lætitia eſt. At *tentari*, affligi, vocat πᾶσαν χαρὰν *omnem lætitiam*. Rationem addit v. 3. 4. *Scientes quòd probatio fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat.* Nimirum per afflictiones fides manifeſtatur, quæ conſtans eſt, & ſuum opus, puta gratiarum actionem, invocationem, charitatem, concupiſcentiæ mortificationem, ſui ſcrutationem, &c. operatur... Hinc S. Apoſtoli à perſecutoribus ſuis percuſſi, à facie Synedrii diſceſſerunt χαίροντες *gaudentes*, ὅτι ὑπὲρ

τοῦ

ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι, *digni habiti eſſent, qui pro nomine ejus* (Chriſti) *contumelia afficerentur*, Act. V. 41. Neque hoc tantùm, ſed etiam καυχῶνται ἐν ταῖς θλίψεσι *gloriantur in afflictionibus*, eò quòd ſciant, *afflictionem patientiam, patientiam experimentum, experientiam ſpem operari, & ſpem non confundere*, Rom. V. 3. 4. Spes certè dulciſſimum eſt vitæ condimentum. At ea in afflictionibus naſcitur. In iis quippe datur patientia, cujus uſus rebus ſecundis nullus. In patientia autem gliſcit experientia fidei & charitatis, numquid ſcilicet poſſimus Deum ſolum amare, mundo huic valedicere, & proximo injuriam facienti condonare. Quæ experientia exhibet arrhabonem Spiritus in ſuo nitore & claritudine. Qui ſpem facit, eámque non incertam & languidam, ſed οὐ καταισχύνουσαν *non pudefacientem*, quæ expectationem pariat. Quippe cùm *charitas Dei ſit effuſa in cordibus noſtris per Spiritum Dei*, hoc eſt, dum ſentimus nos à Spiritu Dei ſanctificari & recreari, ſentiamus nos à Deo impensè diligi. Hæc igitur uberrima S. Martyribus eſt gloriationis, in Deo videlicet per communionem ſuo, materia, ob quam meritiſſimas Deo *gratias agunt*, juxta voluntatem ejus ἐν παντὶ εὐχαριστοῦντες *in omnibus*, adeóque adverſis æquè ac proſperis, *gratias agentes*, 1. Theſſ. V. 18.

LIV. Verè igitur Tertullianus *Apolog. cap.* 1. ſceleratorum & Martyrum paſſiones ita diſtinguit: *Malefici geſtiunt latere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facilè aut ſemper confitentur. Certè damnati mœrent. Dinumerant in ſemetipſos. Mentis mala impetus vel fato vel aſtris imputant. Nolunt enim ſuum eſſe, quod malum agnoſcunt. Chriſtianus verò quid ſimile? Neminem pudet, neminem pœnitet, niſi planè retro non fuiſſe. Si denotatur, gloriatur; ſi accuſatur, non defendit. Interrogatus vel ultro confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali eſt, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiverſationem, deplorationem, pœnitentiam? Quid hoc mali eſt, cujus reus gaudet? cujus accuſatio votum eſt, & pœna felicitas?* Teſtes hujus rei locupletiſſimæ ſunt omnes veterum & recentiorum Martyrum hiſtoriæ, ex quibus liquet, ſanctos illos Athletas in graviſſima etiam lucta, mediiſque flammis, quicquid diriſſimus dolor & vexatio incommodi habuit, præſente virtute, lætitia, riſu, hymnorum cantu, gratiarum actione devota obruiſſe, & quod veteres Sapienti in Phalaridis tauro æſtuanti tribuunt, exclamâſſe: *Dulce eſt, & ad me nihil pertinet*; denique hoc modo perſecutores

Martyres & Pſeudo-Martyres in eo etiam differunt, quòd illi læti geſtientésque, hi trepidantes & mœrentes mortem ſuſtinent.

ſuos vehementer perculiſſe, & de victoribus ſuis glorioſè triumphâſſe. Agnovit id M. Aurelius Antoninus in Epiſtola *ad commune Aſia*, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib. IV.* 12. ubi ita ille: *ὡς εἰς ταραχὴν ἐμβάλλετε, βεβαιοῦτε τὴν γνώμην αὐτῶν, ἥνπερ ἔχουσιν, ὡς ἀθέων κατηγοροῦντες. εἴη δ' ἂν κἀκείνοις αἱρετὸν, τὸ δοκεῖν κατηγορουμένοις τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν ὑπὲρ τοῦ οἰκείου Θεοῦ. Ὅθεν καὶ νικῶσι, προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχάς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράττειν αὐτούς.* *Eorum* (Chriſtianorum) *adverſus quos tumultuamini, ſententiam ac propoſitum ampliùs confirmatis, dum eos accuſatis tanquam impios. Illis enim magis in votis eſt, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo ſuo, quàm ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, animas ſuas projicientes potiùs, quàm ut ea facere, quæ vos jubetis, animum ſuum inducant.* Quod ipſum S. Auguſtinus *in Pſal.* 29. paucis etiam expreſſit, dum ita ſcribit: *Perſecutores in manifeſto falsò triumpharunt: Martyres in occulto verè coronati ſunt.*

Felicitas Martyrum ſumma.

LV. Hanc verò Sanctorum Martyrum fidelem & glorioſam patientiam certa ſalus & indubia felicitas comitatur & conſequitur. Nam הזרעים בדמעה ברנה יקצרו *Qui ſeminârunt cum lachrymis cum exultatione metent*, Pſal. CXXVI. 5. Unde lætiſſima vox Sponſi, Sponſam, priùs auſteriore, & veluti hyberno ſtatu afflictam, alloquentis Cant. II. 10. 11. *Surge* רעיתי יפתי *Amica mea, formoſa mea. Ecce enim hyems tranſiit, imber mutatus eſt, & abiit. Flores apparuerunt in terra,* עת הזמיר *tempus cantionis advenit,* &c. Quæ verba Martyrum felicitati Origenes *Exhort. ad Martyr. p.* 193. ſcitè accommodavit. Eximiè etiam hac de re S. Auguſtinus in Pſal. 127. *Seculi homines infeliciter felices ſunt. Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, ſed in æternum felices; & in eo ipſo, in quo erant ad tempus infelices, putabantur magis infelices, quàm erant. Quid enim dicit Apoſtolus? Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Quare ſemper? Et hìc & ibi, prorſus & hìc & ibi. Hìc enim unde gaudemus? De ſpe. Ibi unde gaudemus? De re. Magnum gaudium habet ſpes gaudentis. Et ſi ſpe gaudentes, videte, quid ſequitur in tribulatione patientes. Martyres ergo ideo in tribulatione patientes erant, quia ſpe gaudebant.*

Martyrum vivorum in veteri Eccleſia dignitas & poteſtas.

LVI. Quanta in Eccleſia veteri vivorum, ſive incluſorum adhuc, ſive liberatorum Martyrum dignitas, authoritas & poteſtas fuerit, paucis exprimi vix poteſt. *Antiquitus*, ita de eorum authoritate Albaſpineus *Obſervat. lib. I.* 20. loquitur, *Eccleſia nihil rarum, aut pretioſum habebat, quod non impertiretur Martyribus, de omni*

quaſi

quaſi ejus jure ac authoritate illi ſuccurrebant: etſi nullum ordinem, nullum characterem habebant, tamen & ſolebant, & ex laicis Epiſcopi, ſi non dignitate ac munere, ſaltem poteſtate fiebant, eóque exiſtimationis apud homines pervenerunt, ut plus propemodum authoritatis & ponderis, quàm vel Presbyteri, vel Epiſcopi haberent. Inprimis autem, quo in pretio habiti fuerint, ex libellis ad Martyres, Tertulliani *de pudicitia, de fuga in perſecutione*, & Cypriani Epiſtolis, puta *lib. I. ep.* 5. *lib. II. ep.* 12. *lib. III. ep.* 4. 6. 25. *lib. IV. ep.* 1. nec non ejusdem *de Exhortatione ad Martyrium* abundè colligi poteſt. Poteſtatem verò eorundem quod attinet, vigente inprimis adhuc pœnarum canonicarum rigore, plurimum illis conceſſum. Nam quas Eccleſiæ Præpoſiti relaxare non poterant ſceleratorum & lapſorum pœnas, illi quamvis laici á reis exorati relaxare, lapſósque abſolvere poterant. Cyprianus *Epiſt. ad Luc.* ſcribit, *univerſis eos pacem dediſſe.* Nempe libellos veniæ datæ teſtes lapſis impertiebantur. Quod vocabant *pacem dare.* Idque apud Eccleſiam ita ratum erat, ut venia tamen nonniſi poſt Martyrum mortem indulgeretur. Quæ omnia pluribus Tertulliani & Cypriani teſtimoniis idem, qui ſupra, Albaſpineus *loc. cit.* comprobat. Non improbandum equidem, ſi quando lapſi S. Martyrum precibus ſe commendârunt, & Martyres ipſi apud Eccleſiam convenienter interceſſerunt. Neque fas fuiſſet niſi gravi de cauſa album calculum non dare petitioni. Nam qui, ut Cyprianus *Epiſt.* 16. loquitur, *impetrant de Domini bonitate, quicquid poſtulant*; ab Eccleſia ut honeſta deſideria impetrarent, æquum certè piúmque fuit. Quòd verò iidem Martyres quandoque facilè nimis conceſſa venia, imò etiam libellis, quos *communicatorios* inde nuncupabant, quibúſq; lapſi mirè abutebantur, adjudicata *communione*, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ordinem perturbârunt, uti quidem Luciani Martyris exemplo apud Cyprianum Epiſt. 84. liquet, id verò ſucceſſu temporis illis ab Eccleſia vitio datum, quinimò etiam paulò ante Nicenam Synodum, uti ex Laodicena Synodo liquet, abrogatum eſt. Nullóque etiam jure Bellarminus *lib. 1. de indulg. cap. 2.* illa Martyrum *pacem dantium* praxi ad ſtabilimentum alienarum ſatisfactionum abutitur, uti Celeberr. Dalleus *de Pœnis & Satisf. lib. VII.* 16. fusè eruditéque oſtendit. *Pacem lapſis quo ſenſu dederint?*

LVI. Perperam etiam Martyribus ejusmodi vivis ἀναμαρτησία, ſeu, uti Tertullianus vocat, *impeccantia* tribuitur, utpote quæ ſoli Chriſto Martyri κατ' ἐξοχὴν fideli competit. Neceſſe habent *Martyres graviter labi poſſunt.*

& illi, quandiu in hac mortalitate degunt, cum S. Apoſtolo exclamare: *Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος. Miſer ego homo. Quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Rom. VII. 24. Pio quondam Lotho contigit, ut in ipſa Sodoma per gratiam Dei animam puram ſervaret, & de *ἀσελγείᾳ τῶν ἀθέσμων nefariorum libidine* victor triumpharet: at eandem à præſentiſſimo excidio liberatus in monte Tzoar inceſtu pollueret, Geneſ. XIX. 5. 14. 32. 33. 2. Pet. II. 7. David quoque, quandiu Saulis perſecutionem & inſidias hoſtiles expertus eſt, ferventiſſimi & conſtantis in pietate zeli documenta dedit, & nihil non pro viro ſecundum cor Dei fecit. At liberatus ab Adverſarii inſidiis, & Regia quiete ac tranquillitate potitus, neminéque infeſtante ampliùs, periculoſiſſimam omnium tentationem carnis non ſuſtinuit, in graviſſimáque adeò peccata tanto viro prorſus indigna ſeſe præcipitem dedit. Ita ſanctis quoque Martyribus contingere poteſt, ut quam integram illibatámque in adverſis, mediáque veluti Sodomâ, Chriſto ſervârunt animam, potenti brachio Dei liberati, Diaboli *τὰ νοήματα* & mille artes, nec non *ἁμαρτίαν εὐπερίστατον* peccatum circumcingens non ſatis librantes, & in carnalem ſecuritatem prolapſi, gravibus peccatis contaminent. Quod ſi quandoque eveniat, triſte quidem illud eſt & acerbum ſupra modum, veréque efficit מרת נפש *amaritudinem Spiritus*, Prov. XIV. 10. At *ἀπὸ τοῦ ὄντος* tamen non eſt, juſtúmque & ſanctum etiam hîc Divina permiſſio finem habet, ut videlicet tum lapſi ipſi humilientur magis, & *οὐδένειαν* ſuam ac impotentiam naturalem, ſi gratiam Deus vel ad momentum ſubtrahat, agnoſcant rectiùs, & conſtantiæ Divinæ antehac indultæ, liberationiſque gratioſæ beneficium, demiſſo magis gratioríque animo, non ſibi, ſed Domino tribuentes gloriam, penſitent: tum fideles, conſtantiæ illius exemplo ad ſalutem ſuam ædificati, diſcant, non in hominibus, quos vaſa gloriæ ſuæ Deus fecit, cum Divinæ gloriæ detrimento hærere, ſed potiùs ad gratiam Dei, quæ in infirmitate hominis conſummari ſolet, oculos attollant, adeóque uni illi admirabile conſtantiæ & patientiæ opus in ſolidum acceptum referant, unius illius gloriæ devota mente litent: tum denique omnes quantalibet ſanctitate in mundo conſpicui ſunt, non fidant meritis & viribus ſuis, ſed potiùs cautos ſe gerant, contra carnalem ſecuritatem invigilent, & humiles cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur. *Si qua*, ita pulchrè S. Auguſtinus *de Doctr. Chriſt. lib. III. 23.* ſcribit, *peccata magnorum virorum legerit,*

rei

rei geſtâ proprietatem ad hunc uſum aſſumet, ut ſe nequaquam rectè ſuis factis jactare audeat, & præ ſua juſtitia cæteros tanquam peccatores contemnat, cùm videat tantorum virorum & cavendas tempeſtates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum ſcripta ſunt, ut Apoſtolica illa ſententia ubique tremenda ſit, quæ ait: Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat. Nulla enim ferè pagina eſt ſanctorum librorum, in qua non ſonet, quòd Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam. Atque ita Martyrem etiam à regula deficere poſſe, ac proin fidem ex ejus ſententia & arbitrio haud æſtimandam eſſe, jam olim Tertullianus *de Præſcript. Hæret. cap.* 3. innuit his verbis: *Soli Dei filio ſervabatur ſine delicto permanere. Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? &c.*

Martyrio expiari peccata ſive propria, ſive aliena, perperam veteres nonnulli docuerunt.

LVII. Mali etiam commatis eſt, quòd Pontificii paſſim aſſerunt, Martyrio ineſſe vim expiandi peccata tum propria, tum aliena. Expiatio enim peccati cujuslibet ſolius ſanguinis Chriſti dos eſt, utpote qui ſolus ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας καθαρίζει, *ab omni peccato purificat*, 1. Joh. I. 7. Natura quinetiam paſſionum vel ex ipſa figura ſacrificiorum diſci poteſt. Victimæ affundebatur σπονδὴ *libamen.* Huic reſpondere ſanguinem fidelium effuſum, ac proin etiam σπονδὴν *libamen* vocari, ſupra vidimus. Libamina autem non expiant, ſed ſacrificio affunduntur. Accedit, quòd paſſiones noſtræ ſunt paſſiones Chriſti, Act. IX. 4. 5. 2. Cor. I. 5. Col. I. 24. Si noſtræ duntaxat forent, ut peccatorum extra Chriſtum, ut reorum, ut purificatione indigentium, pœnæ & ſatisfactiones eſſent. Nunc ſunt paſſiones & afflictiones filiorum, membrorum Chriſti, juſtorum per fidem: ſunt paſſiones Chriſti in ſpiritu juſtificati, & per paſſiones proprias conſummati. Non igitur ſunt τιμωρίαι, pœnæ, ſatisfactiones expiantes, non καθαρισμὸς τῶν ἁμαρτιῶν: ſed ſunt afflictiones conſequentes juſtitiam Chriſti, quæ ſola expiat, jam imputatam, ut fructus juſtitiæ ſint eò uberiores clarioréſque, ipſáque juſtitia Chriſti ex iis magis glorificetur. Et quale quæſo brevis cruciatus pro æterna pœna peccato debita ἀντάλλαγμα eſt? Meritò igitur etiam Origenis errorem, quòd S. Martyres ſuperſtitibus ἄφεσιν ἁμαρτιῶν *remiſſionem peccatorum* miniſtrent, & quòd ſanguine Martyrum τύχα *forte* quidam redimantur, Cl. & Amiciſſimus Weſtenius in do-

ctiſſimis ad Origenis *Exhort.ad Martyr.* Notis *pag.* 127. *et* 147. perſtringit. Neque ſanius illud, quòd Bellarminus *lib. 1. de Baptiſ. c. 6.* aliíque pertendunt, Martyrium hominis nondum baptizati eſſe Baptiſmum, & *ipſo aqua baptiſmo puriores reddere*, uti Thomas *in 4. Sent. Diſt.* 4. *q.* 3. *a.* 3. loquitur. Quomodo etiam olim Gennadius Maſſilienſis *de Eccleſ. Dogm. cap.* 74. dixit, *Martyrio tota baptiſmi ſacramenta compleri.* Mirum verò genus ſacramenti, quod confertur ex mandato infidelium ab infidelibus tortoribus, quos habuiſſe intentionem conferendi verum baptiſmum, nemo compos mentis credat. Dicuntur quidem Martyres *baptiſmo baptizari*, Luc. XII. 50. At metaphoricè prorſus. Quo ſenſu S. Patres paſſim loquuntur. Si qui pro Chriſto occidantur, nondum baptizati, nec privatio Baptiſmi ſaluti illorum obſtare poterit: nec Martyrium Baptiſmi aquæ vicem fungetur. Ejus ſanguine peccata illorum abluuntur, quem pro peccatis ſuis effuſum proprio ſanguine ſuo teſtantur. Utrique ſanè, & qui baptizantur, & qui Martyrium ſubeunt, doctrinam Evangelii ſubſignant. Sed inter duas has ſubſignationes tantum intereſt, quantum inter ſigillum Regium ſeu publicum, & privatam ſubſcriptionem.

An ſit Baptiſmus?

Æterna Martyrum gloria & felicitas.

LVIII. Omnes porro veri Martyres remunerationem ampliſſimam, æternæ vitæ coronam immarceſſibilem ex Dei gratia conſequuntur. Dantur enim illis στολαὶ λευκαὶ *ſtola alba*, tum innocentiæ illorum etiam in hoc mundo aſſertæ, tum cœleſtis gloriæ & lucis indices, Apoc. VI. 11. VII. 13. Súntque ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *in conſpectu throni ejus* (Agni) *& ſerviunt ipſi die noctéque in Templo ejus. Et qui ſedet in throno, habitat ſuper ipſos. Et agnus, qui in medio throni eſt, paſcet illos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum. Et abſterſurus eſt Deus omnes lachrymas ab oculis eorum*, ib. v. 15. 17. Unde S. Johannes Apocal. XX. 4. vidit *animas eorum, qui propter teſtimonium Jeſu percuſſi ſunt*, ζώσας *viventes*, in cœleſti videlicet gloria cum Chriſto. Chriſti ipſius præconio μακάριοι *beati* ſunt, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quia eorum eſt Regnum Cœlorum*, Matth. V. 11. Et S. Paulus 2. Tim. IV. 6. 7. σπονδῇ *libationi* ſuæ proximus, certamine bono decertato lætus τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον *coronam juſtitia* expectavit. Eleganter igitur Salvianus *lib. 3. de Provid.* dicit, S. Martyres *ad cœleſtis Regia januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis cataſtíſque feciſſe.* Ipſíque S. Martyres hoc nomine ſe conſolantur, hácque ſpe

&

& deſiderio beatioris vitæ ad Martyrium alacriter ſubeundum inflammantur, aſpicientes non pericula, ſed coronas: non horrentes plagas, ſed numerantes *βραβεῖα*: non infernè flagris cædentes lictores, ſed Angelos supernè benedicentes intuiti: denique non periculorum brevitatem, ſed præmiorum æternitatem conſiderantes, uti S. Baſilius *Conc. in Barlaam* loquitur. Καλὸν ἐμοί, ita S. Ignatius *Epiſt. ad Rom.* ἀποθανεῖν διὰ Ἰησοῦν Χριστὸν, ἢ βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς. *Melius mihi mori propter Jeſum Chriſtum, quàm regnare ſupra terminos terræ.* Fuséque hanc S. Martyrum felicitatem S. Cyprianus de *Exhortat. Martyrum cap.* 12. deſcribit. Inter alia: *Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet Cœlum: minatur Antichriſtus, ſed tuetur Chriſtus: mors infertur, ſed immortalitas ſequitur: occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur: vita externa extinguitur, ſed æterna reparatur, &c.*

LIX. Mittimus hîc Scholaſticorum, hominum infeliciter acutorum, ζητήσεις μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους, frigidáque de aureolis Martyrum, hoc eſt, ut Joſephus Angles *in 4. Sent. Diſt.* 49. *art.* 6. definit, coronulis rubrias, in ipſorum capite, & quidem ex merito operum, ſomnia. Et Aquinas quidem *quæſt.* 96. *Supplem. part.* 3. docet, *aureolam* illam Martyrum fore gaudium illorum cœleſte, additam *aureæ*, ſive præmio eſſentiali, ſeu communi beatorum gaudio; & niti illam hoc fundamento, *quòd pugnæ debeatur corona: cùm ergo ſpecialis & excellentior pugna ſit Martyrum, ſpecialem & excellentiorem eiſdem coronam, hoc eſt, aureolam deberi.* Nos qui differentiam in cœleſti gloria, ſine invidia tamen, & cum maxima gloriæ, etiam capitis redundatione in omnes, fore agnoſcimus: piis Martyribus ſublimiorem gloriæ, pro liberrima tamen Dei εὐδοκίᾳ, gradum reponi, ſi quis aſſerat, non repugnamus. At ex meriti diverſa proportione, vel κατ' ὀφείλημα *ex debito* tale quid nunquam pii Martyres expectârunt. Quin potiùs ſtolas ſuas dealbâſſe dicuntur ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου *in ſanguine agni*, Apoc. VII. 13. Adeóque illorum purificatio & ſalus non ex proprii ſanguinis, ſed ex *ſanguinis agni* merito arceſſi debet. Vicerunt enim per αἷμα τοῦ ἀρνίου *ſanguinem agni*, Apoc. XII. 11. Agnoſcunt adeò cum S. Paulo 2. Cor. IV. 12. in ſe, cùm propter Jeſum in mortem traduntur, operari *mortem Chriſti*, adeóque à Chriſti morte & paſſionibus, earúmque merito coercitionem, humiliationem, mortificationémque carnis & corporis ſui conſequi. Piiſſimè igitur S. Martyra (liceat ab Aldhelmo mutuari vocem) Agnes impio

Scholaſticorum de merito & aureolis Martyrum delirium.

impio Præfecto reſpondit: *Sanguis Chriſti Jeſu Sponſi mei tinxit genas meas.*

Martyribus honorem eximium ſuperſtites fideles debeat.

LX. Sed & qui in Eccleſia militante degunt, Sanctos Martyres ſive vivos, ſive defunctos laudant, honorant, celebrántque multis modis. Ante omnia ita quidem Eccleſia eorum funeſtam mortem luget, exemplo religioſorum virorum, qui ob B. Stephani mortem *fecerunt* *κοπετὸν μέγαν* *planctum magnum* Act. VIII. 2. ut ſimul etiam *χαίρῃ καὶ συγχαίρῃ* *gaudeat* & *unà gaudeat*, ob eorum ſplendidam victoriam & felicitatem, Phil. II. 18. Memoriam inprimis eorum cum laude conjunctam tenet, & imitationem proponit omnibus, juxta illud S. Apoſtoli Hebr. XIII. 7. *Mementote ductorum veſtrorum, qui ſermonem Dei vobis locuti ſunt.* *ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς μιμεῖσθε τὴν πίστιν*, *quorum exitum converſationis conſiderantes, fidem* eorum *imitamini.* Ipſe Chriſtus Apoc. II. 13. Antipam *fidelem teſtem ſuum* laudat. Unde Martyrum agones & certamina in Eccleſia Chriſti prædicanda, multósque ad exprimenda ipſorum veſtigia excitandos eſſe intelligimus. Et Hieropſaltes Pſal. CXVI. 15. ait, mortem Sanctorum eſſe יקר בעיני יהוה *pretioſam in oculis Domini.* Unde rectè Clemens *Conſtit. Apoſt. lib. V. 7.* honorem S. Martyribus exhibendum eſſe, colligit. Quòd ſi magno honore & laude digni ſunt ii, qui in bello juſto occubuerunt, & juxta illud Heracliti apud Clementem Alex. *Stromatum libro IV. pag.* 481. Ἀρηϊφάτους Θεοὶ τιμῶσι καὶ ἄνθρωποι, *Marte cæſos Dii honorant & homines*; quantò magis laudandi ſunt, qui in ſacro hoc bello Cœleſtis Imperatoris honori morte ſua litant? Laudandi certè propenſiſſimo ſtudio; ſed in Domino, non in ſe, juxta præclara S. Auguſtini *ad Bonifac. lib. III. 8.* verba: *Per hoc & Sancti omnes, ſive ab illo antiquo Abel, uſque ad Johannem Baptiſtam, ſive ab ipſis Apoſtolis uſque ad hoc tempus, & deinceps uſque ad terminum Seculi, in Domino laudandi ſunt, non in ſeipſis, quia et illorum anteriorum vox eſt:* (Pſal. XXXIV. 3.) *In Domino laudabitur anima mea: Et iſtorum poſteriorum vox eſt* (1. Cor. XV. 10.) *Gratiâ Dei ſum, quod ſum. Et ad omnes pertinet:* (1. Cor. I. 31.) *Ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Honor à veteribus iis tributus qualis?

LXI. Memoriam S. Martyrum quomodo coluerint veteres, idem S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib. VII. 27.* fusè docet. *Nec tamen*, inter alia inquit, *nos eisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, Sacra et ſacrificia conſtituimus. Quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam Sanctorum homi-*

hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certârunt, ut innoteſceret vera religio, falſis religionibus fictíſque convictis. Et mox: *Quæcunque adhibentur religioſorum obſequiis in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo: tamen quicunque id faciunt, quos cùm appoſuerint, orant, & auferunt, ut veſcantur: vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomini Domini Martyrum.* Euſebius quoque *de Præparat. Evangel. lib. XIII. 11.* ita hac de re loquitur: Καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ τῶν θεοφιλῶν τελευτῇ, οὓς ϛρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἰπὼν, παραλαμβάνεσθαι. Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. Quæ verba falſiſſima interpretatione à Bellarmino *de Sanctorum Beatit. cap. 19.* & Gregorio de Valentia *Comment. Theolog. tom. 3. Diſp. 6. q. 2. p. 7.* corrupta, ita vertenda ſunt: *Hæc verò etiam convenienter accipiuntur ſuper obitu charorum Dei, quos verè pietatis milites non ineptè dixeris. Unde nobis etiam mos eſt, ad eorum thecas* (ſive ſepulchra) *accedere, & apud has vota facere, & beatas ipſorum animas honorare, utpote rationabiliter etiam hæc à nobis fieri* (non ignaris.) Nempe conveniebant veteres in Martyrum locis, (hæc ſub perſecutionibus erant Chriſtianorum Templa, κοιμητήρια *cœmiteria*, imo & Μαρτύρια *Martyria* inde dicta) & apud eorum memorias vota Deo offerebant, honorabantque beatas Martyrum animas dilectione & honorifica recordatione, Deo de illorum victoriis gratias agentes, & ſe ipſos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem vero Deo in auxilium invocato, ex eorum memoriæ renovatione adhortantes. Quem ad memorias Martyrum curſitandi morem, innocente adhuc animo uſurpatum, uti non improbamus; ita nos ob adſperſam ei procedente tempore ſuperſtitionis labem, de qua Doctiſs. Molinæus *lib. de Altaribus & ſacrificiis cap. 11.* fusè, nec non Cl. Collega Joh. Henricus Ottius in recenti opere Anti-baroniano utiliſſimo, ad A. 253. *ſ. 9.* agunt, ultro liberéque ab eo abſtinemus.

LXII. Sic autem S. Martyrum memorias honorandas ſtatuimus, ut certamina & victoriæ eorum pio, docto, memoríque calamo poſteritati noſcendæ offerantur, quod olim inprimis Diptycha à Nota- **Honos verus & memoria Martyri-**

bus debita explicatur. à Notariis juſſu Clementis R. conſcripta, at pleraque ſi non omnia malo fato amiſſa, præſtiterunt, hodiéque Martyrologia incorrupta fide, habitóque delectu ſcripta, aliáque ejusmodi præſtant: ut eorum pia ſcripta & monumenta, ſi quæ reliquerunt, ſtudioſè conſerventur: ut eorum inter confitendum piè & ſapienter dicta, apophtegmata, voces emortuales, ardentes preces, quæ vera, viva & ſaluberrima eorum imago ſunt, attentè obſerventur, in ſuccum & ſanguinem convertantur, populo frequenter inculcentur (quam in rem juvaret inprimis deditâ operâ in uſum Eccleſiæ accuratè ſcribi Theologiam Martyrum, cujus eximium ſpecimen Celeb. ὁ μακαρίτης Hottingerus noſter *Hiſtor. Eccleſ. Tom. IX. pag. 205. &c.* reliquit) ut ἐκχίρως ἀκηρύρως eorum pietas, zelus, fortitudo, patientia, rerum mundanarum & vitæ propriæ contemptus commemoretur & laudetur: ut memoria ipſorum à mundo damnata, & calumniis proſciſſa, quâ publicè, quâ privatim pro viribus vindicetur, & ſarta tectáque conſervetur: ut ſi honore ſepulturæ caruerint, exuviæ eorum, ubi facultas fuerit, honorificè ſepeliantur: ut denique quiſque pro ſe illorum fidem, virtutem, patientiam ſedula imitatione exprimere contendat. Quo honore majorem nec Deus & pietas flagitant, nec ipſi S. Martyres, qui ἀυταρκέςατοι ſe caſtè, & in Deo laudandos probè meminerant, optaverint.

Cultus religioſus ſeu Martyrolatria impugnatur. LXIII. Inprimis piis omnibus animus abhorret ab honore Divino, qualis eſt invocatio & adoratio religioſa, Sanctis Martyribus impertiendo, ne honorem ſoli Deo debitum alienando, & Dei & Martyrum hoſtes evadant. Solus nempe Deus religioſè invocandus & adorandus eſt, Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. coll. cum 1. Sam VII. 3. ubi לבדו *ſoli* exprimitur, nec non Pſal. L. 15. Eſaj. LV. 6. Hinc adeò *B. Stephanum ſepeliunt & lugent fideles, ſingulari fidei & charitatis exemplo: invocat autem nemo, neque conduntur ejus reliquiæ*, uti ſcitè Beza *Not. ad Act.* 8: 2. loquitur. Cúmque olim Judæi fidelibus per calumniam objeciſſent, quòd Polycarpum, glorioſiſſimo Martyrio defunctum, ſi ejus corpus in poteſtate habere poſſent, relicto Chriſto culturi eſſent, ſycophantiam illam paucis verbis ita Smyrnenſes in Epiſtola cedro digna, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. lib. IV.* 15. refellunt: Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλόντων καὶ ἐνισχυσάντων τῶν Ἰυδαίων, οἱ καὶ ἐτήρησαν μελλόντων ἡμῶν ἐκ τῦ πυρὸς αὐτὸν λαμβάνειν. ἀγνοῦντες, ὅτι ὔτε τὸν Χριςόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τῦ παντὸς κόσμυ τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα, ὔτε ἕτερόν

ρόν τινα σέβειν. Τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν. Τοὺς δὲ Μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. *Atque hæc* (inquiunt) *illi* (Pagani) *Judæis ſubmonentibus & obnixè inſtantibus dixerunt, qui vos obſervabant; cùm illum* (Polycarpum) *ex igne drepturi eſſemus; illud fieri non poſſe ignorantes, ut nos vel Chriſtum pro omnium, qui toto mundo ſervantur, ſalute paſſum derelinquamus, vel ullum alium colamus. Hunc enim, ut qui Dei filius eſt, adoramus: Martyres verò ut Domini diſcipulos & imitatores meritò diligimus,* (Ruffinus addit, *& veneramur*, quod in textu non eſt,) *propter invictam eorum in proprium Regem ac Magiſtrum benevolentiam, quorum nós cùm in pietate diſcipulos, tum in gloria conſortes fore putamus.* Diligenter omnino & accuratè ſancti hi viri diſcipulos à Magiſtrò, ſervos à Domino, illorum honorem ab hujus religioſo cultu diſcriminant; & Chriſto σέβας & προσκύνησιν *cultum & adorationem*: Martyribus verò, ejus diſcipulis & imitatoribus *amorem et dilectionem* tribuunt. Eximium locum à Martyrolatris, eorúmque στρεβλώσεις fortiter Celeb. Dalleus *de Religioſi Cultus Objecto lib.* III. 34 vindicavit. Gemella habet Cyrillus lib. VI. contra Julianum. Hieronymus etiam *Epiſt. ad Riparium* diſertè: *Nos autem, non dico, Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti Seculo, et in futuro, colimus & adoramus, ne ſerviamus* (en duliam etiam remotam) *creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in Secula: honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus.* Quid verò illi aliíque ſancti Patres dicerent, ſi redivivi Martyrolatriam viderent Pontificiam, quâ Martyres dedicatione Templorum & altarium; Præfectura illis aſſignata Regnorum, regionum, urbium, collegiorum, ordinum quorumcunque, rerum naturalium aut artificialium, morborum &c. feſtorum celebratione, religioſa reliquiarum elevatione; translatione, dedicatione, & ad eas peregrinatione; denique ἀποθεώσει, canonizatione, religioſa invocatione, & adoratione, adeóque honoribus merè Divinis afficiunt, & Deo vivo omnipotentíque eatenus prorſus adæquant?

LXIV. Atque hæc piorum Martyrum incomparabilis felicitas eſt. Aſt diverſa longè ſors τῶν μαρτυρομαστίγων, ſeu Perſecutorum fidelium Chriſti teſtium. Illi enim, niſi ſecutâ pœnitentiâ & ani- *Perſecutorum Martyria infligentium infelicitas.*

& pœnæ etiam temporales.

animorum κατανύξει, non tantùm æterna morte plectuntur, ſed ut plurimum etiam præſenti in Seculo vindictam Dei præſentiſſimam experiuntur, exitúmque tragicum & miſerabilem ſortiuntur. Graviſſima enim Dei comminatio eſt, quæ extat Deuteron. XXXII. 40. &c. *Cùm elevavero ad Cœlum manum meam, & dixero: Vivo ego in Seculum. Si acuero aciem gladii mei, & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hoſtibus meis, & odio habentibus me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus vorabit carnem, ſanguine, inquam, occiſorum, & captivitatis, à capite caſarierum Inimici. Laudate gentes, populus ejus: quia ſanguinem ſervorum ſuorum vindicat, & ultionem retribuit hoſtibus ſuis, & expiavit* terram *populum ſuum.* David quoque Pſal LXXIX 10. *Nota fiat in gentibus, in oculis noſtris ultio ſanguinis ſervorum ſuorum, qui effuſus eſt.* Calicem Divinæ indignationis Perſecutoribus per S. Jeremiam patheticè inprimis propinat cap. XXV. 15. 16. 29. ubi ita Jeremiam affatur: *Sume* את כוס היין החמה הזאת *calicem vini furoris hujus de manu mea. & propina illum omnibus gentibus, ad quas ego mitto te. Et bibent, & trement, & inſanient à facie gladii quem ego mitto inter eos. &c. Quoniam ecce civitati, ſuper quam invocatum eſt nomen meum, ego incipio maleſacere, & vos penitus eritis innoxii? Non eritis innoxii. Gladium enim advoco ſuper omnes habitatores terræ, dixit Jehova Exercituum.* Pertinet huc judicium meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, μεθυούσης ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων, καὶ ἐκ τοῦ αἵματος τῶν μαρτύρων Ἰησοῦ, *ebria ſanguine Sanctorum, & ſanguine Martyrum Jeſu,* Apoc. XVII. 1. 6. XVIII. 1. &c. 20. 21.

Exempla ejus rei producuntur.

LXV. Exempla ἐκδίκου ὄμματος *vindicis oculi* Dei præbent primus Μαρτυρομάστιξ Cain Geneſ. IV. 11. Pharao Exod. XIV. 13. Sennacheribus 2. Reg. XIX. 35. 37. impia Jezabel, & Achabi domus ſontica, 2. Reg. IX. 7. Joas & populus ejus, 2. Chron. XXIV. 21. &c. Judæa gens, Matth. XXIII. 35. Luc. XI. 50. 51. Matth. XXVII. 25. Agricolæ, Matth. XXI. 41. Herodes Aſcalonita, de cujus horrenda morte Joſephus ſcribit; nec non Antipas apud eundem Joſephum, *Antiq. lib.* XVIII 7. 9. & Agrippa, Act. XII. 23. Romani Imperatores Nero, quem Paulus 2. Tim. IV. 17. *leonem* vocat, Caracalla, Domitianus, Macrinus, Maximinus, Decius, Gallus, Voluſianus, Valerianus, Claudius, Aurelianus, Diocletianus, Licinius, Maxentius &c. quorum horribiles pœnas & tragicum exitum paſſim hiſtoriæ commemorant. Tertullianus perſecutorum pœnas ex profeſſo deſcribit

ad

ad Scapul. cap 3. Inter alia ita ille: *Doleamus neceſſe eſt, quòd nulla civitas impunè latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, ſicut et ſub Hilariano Præſide, cùm de areis ſepulturarum noſtrarum acclamâſſent:* AREÆ NON SINT: *areæ ipſorum non fuerunt. Meſſes enim ſuas non egerunt.* &c. Paulò poſt: *Poſſumus æquè & exitus quorundam Præſidum tibi proponere, qui in fine vitæ recordati ſunt, deliquiſſe, quòd vexaſſent Chriſtianos. Vigellius Saturninus, qui primus in nos gladium egit, lumina amiſit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem ſuam ad hanc ſectam tranſiſſe, Chriſtianos crudeliter tractâſſet, ſolúsq; in Prætorio ſuo vaſtatus peſte cùm vivus vermibus ebulliſſet: Nemo ſciat, aiebat, ne ſpe gaudeant Chriſtiani. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Chriſtiani gaudete, exclamavit. Sed & qui videntur ſibi impunè tuliſſe, venient in diem Divini judicii.* Recentiorum temporum exempla ſimillima, inprimis Caroli IX. cui, Thuano *Hiſtor. lib.* 57. aliíſque teſtibus, poſt lanienam Bartholomæanam *ſomnum nocturni horrores plerunque interrumpebant, ut neceſſe eſſet per pueros Symphoniacos eundem reſtituere,* donec exacto biennio poſt graves & longos dolores, *ita ut ſe mori diu ante mortem ſenſerit,* in ſanguinis effuſione quatuordecim dies, ad mortem usque durante extingueretur: Mariæ utriusque & Anglæ & Scoticæ: perſecutorum Gallicorum Laubeſpin Parlamenti Gratianopolitani aſſeclæ, du Bourtel ſeu Ponſenatis, Advocati Regii, aliorúmque, adverſus quos exercita horribilia Dei judicia Martyrologii Magni *lib. VII. pag.* 1037. *&c.* narrantur: perſecutorum Bohemorum, quorum pœnas Martyrologium Bohemicum *cap* 106. deſcribit: nec non Pedemontanorum nuperorum, aliáque innumera produci poſſent. Digniſſimus lectu hic eſt aureus Ven. Bullingeri liber *de Perſecutionibus*, in cujus *cap.* 19. *&* 20. perſecutorum variorum pœnas graphicè is depingit.

LXVI. Atque ita nunquam non Eccleſia plaudere potuit, nunquam non poterit verbis השיר בארץ יהודה *cantici* illius *in terra Jehuda* Eſaj. XXVI. 13. 14. *Jehova Deus noſter: dominati ſunt nobis Domini præter te. Tantùm recordati ſumus nominis tui.* מתים בל יחיו *Mortui ſunt, non vivent: mortui ſunt, non reſurgent. Propterea viſitâſti & diſſipâſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* Experiuntúrque adeò tyranni & perſecutores hujus Seculi veritatem Divinæ comminationis, quæ extat Zachar. XII. 3. *Erit autem in die illa, ponam Jeruſalaim* אבן מעמסה *lapidem oneroſum* (Græci

Eccleſiæ eam ob rem plauſus & gratiarum actio.

κατα-

καταπατούμενον conculcantem) *omnibus populis. Omnes ſe eo oneran-tes* שרוט ישרטו *incidendo incidentur.*

Martyrium Eccleſiæ ſummum decus & gloria eſt.

LXVII. Non tantùm verò Martyrum paſſiones ſummam illis felicitatem conciliant, hoſtibus verò confuſionem certiſſimam inconciliant: ſed eædem etiam Eccleſiæ Chriſtianæ non incrementum duntaxat lætiſſimum, dum ſanguine Martyrum hoc pomarium irrigatur, ſanctæque hujus civitatis pomœrium, acciſo licet civium ſuorum numero, promovetur, & amplificatur: (de quo ſupra fuſiùs) ſed etiam ejus ſummum decus & ornamentum, in quo ei coram Deo ſanctè gloriari licet, exiſtunt. Quò reſpexit S. Apoſtolus loco cœtera ſubobſcuro 1.Cor.XV.31. *καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ὑμετέραν* (alii Codices *ἡμετέραν*) *καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ιησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Quotidie morior per gloriationem veſtram* (noſtram) *quam habeo in Jeſu Chriſto Domino noſtro.* Quæ verba Syrus Interpres ita reddidit: ימא אנא בשוכהרכון אחי דאית לי במרן ישוע משיחא *Juro per gloriam veſtram, Fratres mei, quam habeo in Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Quaſi particula *νὴ* jurandi formula eſſet. At Baſilius *in Pſal.XV.* negat, eam formulam ad veros *ὅρκους* pertinere, & ad eos potiùs refert, qui *σχήματα μὲν ὅρκων ἔχουσι, οὐκ ὅρκοι ὄντες, ἀλλὰ θεραπεία πρὸς τοὺς ἀκούοντας, qui formam quidem juramentorum habent, ſed juramenta non ſunt, verùm atteſtatio ad eos, qui audiunt.* Senſus igitur Apoſtoli eſt, afflictiones ſuas, quibus omni momento premebatur, ita ut mortis in limine faucibúsque quotidie verſari videretur, fuiſſe fidelium *καύχησιν gloriationem*, hoc eſt, coram Deo ſanctè gloriandi materiam, ſive Corinthiis ſeorſim, quos ſic ſui admonebat officii, ſi *ὑμετέραν* legas: ſive ſibi cum illis communem, qui Chriſti virtutem & potentiam in ſua infirmitate quotidie perfici meritò gloriari poterat, ſi *ἡμετέραν* legatur. Unde idem Apoſtolus Epheſ.III.13. *θλίψεις afflictiones* ſuas *δόξαν gloriam* Epheſiorum appellat.

De eo Reformata Eccleſia gloriari habet.

LXVIII. Liquet hinc, quanta ſit Eccleſiæ Chriſtianæ poſtremis his temporibus ex Antichriſti Regno tenebríſque Divina voce Apoc.XVIII.6. evocatæ, & ex Divini verbi præſcripto Reformatæ gloria, quantúmque decus: quàm fulgidam ipſi coronam tot fortium Chriſti teſtium, *ἀθλητῶν τε καὶ στεφανιτῶν Pugilum & Athletarum coronatorum*, ut S.Chryſoſtomi *Homil.*23. verbis utar, Martyrio, velut gemmis ac unionibus totidem ſplendidiſſimis radiantem atque ſtellatam, Divina Providentia reſervârit. Olim S.Cyprianus

lib.

lib. de laude Martyrii de ſui temporis Martyribus dixit : *Paradiſus Dei teſtibus floret.* Idem de Eccleſiæ noſtræ Martyribus dicere nobis fas piúmque eſt. Tot enim per Chriſti & Evangelii cauſam paſſi, cruciati, horribilibúſque ſuppliciis affecti ſunt, ut eorum numerus à nemine Mortalium iniri poſſit, ſolíque Deo omniſcio notus ſit.

Ejusdem Eccleſiæ Reformatæ veritas ex Martyrio probata.

LXIX. Meritóque etiam hinc Eccleſiæ noſtræ veritatem & γνησιότητα probamus, quòd, cúm prædictum ſit, fore ut fideles magna alacritate & patientia ſanguinem ſuum pro Chriſto effuſuri, & *animam ſuam non vivificaturi* (Pſal. XXII. 30.) verùm propter Chriſtum ὅλην τὴν ἡμέραν *omnibus diebus* occidendi, & pro ovibus mactationi deſtinatis reputandi (Pſal. XLIV. 23. Rom. VIII. 36.) ipſámque beſtiam per verbum teſtimonii victuri (Apoc. XII. 11. XV. 2.) ſint: hoc Chriſtianæ patientiæ πλεονέκτημα, hæc veri Martyrii prærogativa non alii quàm Reformatæ Eccleſiæ pulchra & eximia ſit. In ea enim & vera fides, uni ſolíque Dei verbo innixa, & ὑπομονὴ τῶν ἁγίων *patientia Sanctorum*, & charitas, & in paſſionibus pro Chriſto lætitia, alacritas, gloriatio, & gratiarum actio, adeóque, verbo dicam, νέφος μαρτύρων *nubes teſtium*, quos & cauſa, & pœna, & fides, & charitas commendat, quàm maximè conſpicua ſunt. Ipſorum etiam, ſicut & veterum Martyrum, Martyriis ſubinde ſtupendis ſignis & prodigiis Deus fidem fecit, qualia in Bohemicis Martyribus Author Martyrologii Bohemici *cap.* 106. recenſet. Cavillationes verò Adverſariorum, Jeſuitarum inprimis, adverſus Reformatos Martyres, Ven. Crocius *Antibec. Vind. Tom.* 1. *p.* 726. *&c.* ſolidè diſcuſſit.

Papatus Martyria falsò jactat.

LXX. Jactat ſanè etiam Papa ſuos Martyres. Quòd ſi verò pro ejus poteſtate & ſupremaru paſſi nonnulli ſunt, occidi illi potuerunt, at coronari non potuerunt. Tralatitium enim eſt, Martyrem facere non pœnam, ſed cauſam : & laudem Martyrii eſſe in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate, uti ſupra S. Auguſtinum loquentem induximus. Chriſtus ſanè diſcipulis ſuis Act. I. 8. dixit: Ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, et tota Judæa ac Samaria, & uſque ad ultimos terminos terræ.* At quos in Martyrum Catalogo illi recenſent, non Chriſti, ſed Papæ teſtes ſunt. Pro hujus, non illius, doctrina erronea & poteſtate injuſta ſanguinem profuderunt. Quomodo Acta Canonizationis novendecim Martyrum Gorcomienſium *pag.* 1. eos ob doctrinam primatus Papæ aſſertam paſſos eſſe, diſertè referunt. quanquam veriores etiam interfectorum illorum cauſas Celeb. Voetius *Polit. Eccleſ. tom.* 3. *pag.* 166. 167.

narrat. Quòd ſi etiam alii, Miſſionarii inprimis, à Papa in Indiam & Americam miſſi, tetra nonnulla, & mortem ipſam à Gentilibus paſſi ſunt, verorum Martyrum axioma non merentur, cùm non tam Chriſti, quàm Papæ cauſæ velificati ſint: & præcedens etiam Hiſpanorum (Vincentii inprimis de Prædicatorum familia Monachi, qui Joſepho à Coſta *lib.* VI. *de Ind. Sal cap.* 2. teſte, ob ſpretum à Rege Attabaliba Breviarium, claſſicum adverſus eum cecinit ejusmodi: *Adeſte Chriſtiani* (Hiſpani) *adeſte: Cædite canes, cædite canes, cædite*, à ſeque, uti Pantaleon Theveninus meritò exclamavit, *Evangelium in India prædicavit non Apoſtolicum, ſed Piſtolicum*;) crudelitas adverſus ſequentes Barbarorum furorem acuit, ut alias cauſas ſilentio involvam. Taceo fidei ſive Monarchicæ, ſive Monaſticæ Martyres, Jacobum Clementem, Balthaſſarem Gerardum, Campianum, Garnettum, aliáq; id genus carcainomata, quæ parricidii, Regicidii, perduellionis convicta, axiomata nova Martyrum, Beatorum, Sanctorum etiam conſequi potuerunt. Sed quid multis? Oſtendat nobis extra Eccleſiam & ditionem Pontificiam Papa mulierem illam purpuratam, ſanguine ſanctorum ebriam, omnibus inſignitam notis, quibus illam Spiritus Dei in Apocalypſi compunxit: aut Martyres jactare deſinat! Omittat quinetiam, ſi Martyres & Martyrium amat, inter Eccleſiæ ſuæ notas temporalem felicitatem aſſeclarum ſuorum profiteri, cùm Martyrium & temporalis felicitas δὶς διὰ πασῶν diſtent. Præterea reſcindat ſanguinariâ decreta, ceſſétque Iſmaelis τοῦ κατὰ σάρκα γεννηθέντος *ſecundum carnem nati* exemplo τὸν κατὰ πνεῦμα, *eum qui eſt ſecundum Spiritum*, Iſacum, omnéſque ἰσότιμον πίστιν λαχόντας, *æquè pretioſam fidem ſortitos* infeſtare, perſequi, occidere, Gal. IV. 28. 29 *Nunquam* enim *ſpiritualis carnalem perſequitur, ſed carnalis ſpiritualem*, uti Canon 13. *cauſ.* 23. *q.* 4. loquitur. Denique, quod rei caput eſt, fidem certam faciat veritatis doctrinæ, quâ illa Pontificia eſt, cùm, juxta S. Auguſtini verba ſuperiùs allegata, hæretici non poſſint habere Martyrum mortem, quia Chriſtianorum non habent vitam.

Bellarmini impudens de Pontificiis Martyribus aſſertio perſtringitur.

LXXI. Frontem certè perfricuit Bellarminus, ita *lib.* III. *de R. P. cap.* 7. ſcribere auſus: *Multò plures Catholicorum hæretici noſtri occiderunt his decem vel quindecim annis in Gallia, & Flandria, quàm Inquiſitores combuſſerint hæreticorum fortè in centum annis. Itaque non poſſunt appellare hanc perſecutionem, ſed bellum civile. Si verò perſecutio dicenda eſt, Catholici potiùs eam patiuntur, quàm Lutherani*

rani

rani & Calviniſtæ: Catholici enim ſunt, qui ex multis Provinciis ejecti, Eccleſias, patrimonia, & ipſam etiam patriam amiſerunt, &c. Etenim quòd Pontificiis poſt ſanguinis profuſionem uberrimam, patientiámque nimis læſam, Patronis & defenſoribus divinitus oblatis, ſubinde reſiſtitur, & aliquàm multi ex illis, dum aliorum ſalutem oppugnant, amiſerunt ſuam, id verò nec Martyribus noſtris officit, nec illis veros Martyres adjudicat. Prædixit enim Spiritus Dei, fore ut in perſecutorum capita recidant, quæ conficere in alios ſolebant. Minatus eſt Chriſtus, *ſe Jezabelis filios interfecturum*, Apoc. II. 23. & *abituros in captivitatem, qui in captivitatem abducunt, occidendóſque gladio, qui gladio occidunt*, cap. XIII. 10. *vertenda* denique *flumina & fontes aquarum in ſanguinem, & bibituros eos ſanguinem, qui ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt*, cap. XVI. 4. 5. 6. Quæ Divina ἐκδίκησις & ἀνταπόδοσις *vindicta & retributio* (Rom. XII. 13.) tam non eſt perſecutio, quàm perſecutio non eſt, vim vi repellere, vel auferre furibus & latronibus bona, quibus juſtos Dominos ſpoliârunt; vel eos ejicere ex patria, qui patriam prodiderunt; vel denique lupos à caulis abigere & arcere. Nota jam omnibus ſunt parricidia, ſicaria audacia, machinatio in Principes, quæ cùm capitis ſupplicium nonnullis pariunt, hæc ſcilicet ſunt Martyrum illorum merita, hæ coronæ, hæc trophæa! Et quicquid tandem ſit de ejusmodi ſuppliciis, cauſæ noſtræ diverſitas lippis jam & tonſoribus nota eſt. Nos enim & publicè docemus, ſolius religionis gratiâ, niſi blaſphemiæ, ſeditioſus animus, perturbatio ſtatus, aliáque ſive moralia, ſive civilia delicta conjungantur, in neminem ſæviendum eſſe ſuppliciis, cùm coactio ſimulatores, & juxta Themiſtii illud apud Socratem *Hiſt. Eccleſ. III.* 21. ἀλουργίδα, οὐ Θεοῦ θεραπεύοντας *purpura, non Dei cultores* efficiat; & religio doctore, non tortore, gladio Dominico, non ferro Magiſtratus indigeat: & propter eandem religionem ſolam nullius morti nos miſcemus. At Papatus & publicè docet, hæreticos, ſive quos comminiſcuntur tales, ſive revera ſunt, igni comburendos, fidem iis datam non ſervandam, Proteſtantes jure Cæſareo hæreticos, ultimóque ſupplicio afficiendos, & ne infantibus quidem parcendum eſſe, uti poſt flagellatorem illum hi[illegible]

nato ferali illo carmine, *ad ignem! ad ignem!* ſæviſſimè exequuntur. *Quis* igitur *tulerit Gracchos* (Bellarminum, alios) *de ſeditione querentes?* Taceo nunc, quòd ſuos à noſtris excarnificatos impudenter quandoque fingunt. *Vidi meis oculis*, ita Bellarmino Franc. Junius *Animadverſ. in Bell. controv. 3. lib. 3:7.* reſpondere potuit ; *in Hollandia homines, quos probi illi veritatis propugnatores ſcilicet jam diu ante annos 15. ac 20. excruciatos miſerè ſcripſerunt, pinxeruntque in ſuis illis Pſeudohiſtoriis Antverpiæ excuſis.*

Eccleſiæ Reformatæ in Martyrii gloria ſupra Lutheranam prærogativa.

LXXII. Eccleſiæ porro Reformatæ πρωτεῖα in veri Martyrii laude adeò luculenta ſunt, ut vel ſolam ob cauſam hanc etiam illi, qui à magno Luthero Lutherani dici amant, nobis æquiores eſſe deberent. Etenim inficias illi ire non poſſunt, magno numero & noſtros pro iis dogmatibus, quæ & ipſi communia nobiſcum habent, perſecutoribus communis fidei cervices ſuas obtuliſſe: & ſuos etiam, qui hinc inde dira paſſi ſunt, pro communi & utrinque recepta fide, & nonniſi pro hac mortem oppetiiſſe, quos, ſi in charitate diſceſſerunt, non obſtantibus nonnullis circa fidem nævis & ſtipulis, in verorum Martyrum cenſu, ut τὸ ἐπιεικὲς noſtrum manifeſtum fiat omnibus, habemus. Pro controverſis verò inter nos capitibus, & in quibus illi à nobis aberrant, ne unum quidem Martyrii veſtigium oſtendi poteſt. Quis enim pro ubiquitate, orali manducatione corporis Chriſti in Euchariſtia, communicatione proprietatum, prævisa fide, apoſtaſia Sanctorum aſſerta Martyrium ſuſtinuit? Proin non quâ Lutheranorum, ſed quâ Reformatorum tot illuſtria ſanctiſſimorum teſtium obvia in Martyrologiis ſunt nomina, evidenti documento bonæ cauſæ. *Quàm enim*, liceat cum τῷ μακαρίτῃ Prædeceſſore noſtro Celeb. Hottingero *Hiſtor. Eccl. tom.* IX. *pag.* 268. loqui, *durum fuerit, quàm impium, eos, qui adeò inſignem contra Diabolum, contra mundum, veterum Martyrum exemplo, contra Antichriſtum deportârunt victoriam ; qui omnia, ut Deo, ut Chriſto placerent, hujus mundi neglexerunt θελκτήρια, damnare?*

Theologorum quorundam & Principum Lutheranorum ingenua de Martyrio

LXXIII. Agnoſcunt id ipſi Theologi Lutherani ἐπιεικέστεροι, qui & Martyres noſtros in verorum Martyrum numero habent, & Martyrii adeò frequentis à noſtris ſubiti argumento Eccleſiæ noſtræ damnatione abſtinent. Chytræus *Epiſt. ad Caſparum Parel Et. pag.* 1007. manifeſtè ita ſcribit : *Nec Eccleſias Gallicas, Anglicas, Belgicas, Scoticas, vel alias unquam damnavi, Abſit ut ullas*

Eccle-

Eccleſias,Principes & populos diſſentientes propterea condemnandos, aut Diabolo tradendos,aut minùs Scythis & Turcis ferendos,aut propter Evangelii confeſſionem interfectos Diaboli Martyres eſſe ſtatuam. Hæc crudelia judicia, ut in nullius pii ac ſani hominis mentem venire arbitror : ita toto pectore damno & abominor. Chriſtophorus Donavverus,Eccleſiæ Ratisbonenſis Paſtor,in candido ſuo de tolerandis Eccleſiis Reformatis judicio,quintum *motivum*,uti vocat, inde depromit,*quòd multa millia Calviniſtarum, ut vocantur, Confeſſionem fundamenti, in quo inter ipſos & Lutheranos conſenſus ſit,obſignaverint ſuo ſanguine, de quo teſtetur magnum Martyrologium Hanoviæ in lucem editum. Alii,*inquit,*quibus nulla conſcientia, damnent, et Diaboli Martyres appellitent ; ſe exacerbatum iſtorum genium ſequi non poſſe, cujus nimis acerbi ſint fructus , quippe qui non dentes ſolùm ſtupefaciant, ſed Chriſtianum ex venis eliciat ſanguinem innocentem.* Hinc adeò etiam Principes Proteſtantes Germaniæ, nullo Reformatorum & Lutheranorum diſcrimine,cùm aliâs,tum inprimis A. 1541. pro Reformatis in Gallia captis Ratisbona apud Franciſcum I. interceſſerunt his verbis : *Itaque nunc etiam de quorundam privatorum incolumitate, qui partim in variis Regni veſtri locis, præſertim Gratianopoli et aliis provinciæ urbibus capti tenentur,partim cum parvis liberis miſeri reliquerunt ſuas domos , & in cavernas fugere coacti ſunt,propterea quòd de doctrina Chriſtiana idem ſentiunt,quod Eccleſia noſtra profitentur : ſcribendum & apud Regiam Celſitudinem veſtram intercedendum duximus.* Sed & piiſſima ac doctiſſima fœmina, Olympia Morata, Lutheranis partibus addicta , ab Anna Eſtenſi Principe Guiſiana An.1554. interceſſionem pro Reformatis Gallis petebat,*quòd tot illi homines,qui jam iſthic comburantur,innocentiſſimi eſſent,& propter Chriſti Evangelium tot cruciatus ſubirent*, uti *Epiſt.lib.2.ep.1.* loquitur.

Reformatorum voces.

LXXIV. Quò magis etiam mirari licet aliorum, & rigidiorum ex partibus illis inhumanitatem dicam,an impudentiam, pios Martyres noſtros non obſcurè ſugillantium. Scripſerat quondam in Edicto Sereniſſimus Elector Brandenburgicus , *non excludendos*

Hutteri, Dannenhavveri Intemperies notata, & ratiunculæ

co *cap.2.pag.176.&c.*ubi regerit, *à Papiſtis etiam Anabaptiſtas, Arianos, Antitrinitarios, alióſque ſupplicio affectos eſſe : cauſam ſupplicii noſtrorum non fuiſſe, quod crediderint, ſe per Chriſtum ſervatum iri, ſed quòd Romanum Pontificem non agnoverint Paſtorem univerſalem, ſed Antichriſtum, ejúſque jugum detrectaverint ferre.* Gemella his effutivit Dannenhavverus, Argentinenſis Theologus, *Colleg. Decalog. pag.* 394. ubi Reformatorum Martyrium *larvatum* vocare, & cum Judæorum, Ethnicorum, Arianorum ſub Athalaricho Gothorum Principe religionis cauſa occiſorum Martyrio comparare non erubuit. Certè μεθοδεία talis etiam Lutheranæ Eccleſiæ Martyrii veri palmas laudémque præcideret. Conſtat enim, plerunque ſimilem utrobique cauſam fuiſſe Martyrii, religionem videlicet utrinque ὁμοθυμαδὸν confeſſam, non eos articulos, in quibus partes diſſentiunt. Noſtrorum nemo ob ſolam oralem manducationem negatam ſupplicio affectus eſt: illorum nemo ob aſſertam. Communem laborem, certamen, luctam in Evangelio, & communem perſecutionem Septemvir objecerat. An etiam Judæorum, Ethnicorum, Arianorum communis vel nobiſcum, vel cum illis, in Evangelio labor, lucta, certamen? An diſſenſus inter utroſque ejusdem momenti, cujus eſt diſſenſus inter nos & Judæos, Ethnicos, Arianos ? Imò an tanti momenti eſt, ut, cùm ob ſimilem plerunque cauſam Martyrio affecti ſint Reformati, ob quam etiam (minori licet, imò exiguo numero) Lutherani, diſſenſus in rebus præcisè ad ſalutem non neceſſariis, efficiat, quò minùs hi veri Martyres clueant, útque occidi propter eandem cauſam noſtri potuerint, at cum illis ob eandem cauſam coronari non potuerint? Aliud longè ſanctiúſque judicium Theologorum & Principum Lutheranorum, ante allegatum, quod moroſos illos judices in ruborem dare poteſt. Vel ſolius Cypriani Hieromartyris exemplo liquet, non quemlibet errorem (quanquam erroris nullius nos convicti ſumus) Martyrii coronam intervertere. Errorem ille circa baptiſmum erraverat. De quo ita tamen S. Auguſtinus *Epiſt.*255. judicavit : *Si quid S. Cyprianus habuit purgandum, glorioſa Martyrii falce purgatum eſt.* Neque etiam ulli in Gallia, Anglia, Belgio hoc uno nomine capite damnati ſunt, quòd Papam Romanum Antichriſtum potiùs, quàm univerſalem Epiſcopum profiterentur. Et ut fuerit alicubi primaria hæc, imò unica etiam ſupplicii cauſa, annon qui negat, Papam eſſe univerſale ſolitarium caput Eccleſiæ, ſimul agnoſcit, ſolum

lum

lum Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ,& Servatorem credentium? Sed perſecutores in Martyribus noſtris hoc maximè impugnâſſe, quòd crederent, ſe ſolius Dei miſericordia propter unius Chriſti meritum ſervari, Martyrologia noſtra,& excerptum ex iis Theologiæ Martyrum ſpecimen ſupra laudatum, abundè teſtantur. Unius Annæ Burgii Regii Conſiliarii Confeſſio id docet, qui quæſtionem de univerſali Epiſcopatu & Antichriſto non attigit, ſed doctrinam tantùm de ſalute per ſolius Chriſti meritum conſequenda illuſtravit Illum totum licet noſtrum , Germaniæ Principes propter Evangelium ſupplicio affectum, adeóque Martyrem γνήσιον magno conſenſu agnoverunt.

LXXV. Non veremur quinetiam Eccleſiæ veteris Sanctos Martyres Eccleſiæ noſtræ vindicare. Illi enim ſive quoad omnia, ſive quoad ſummam ſaltem fidei, ejusdem pretioſæ fidei, quam ex Dei verbo profitemur, conſortes, nobíſque adeò fidei conſanguinitate junctiſſimi fuerunt. Quod de Protomartyribus Helveticis Felice & Regula, reliquíſque Legionis Thebaicæ Martyribus eruditè Ven. Prædeceſſores noſtri οἱ ἐν ἁγίοις, Theologi celeberrimi, Huldricus & Hottingerus fusè demonſtrârunt. Et veteres illi & noſtri Martyres pro Deo, pro Chriſto, ejúsque meriti & gratiæ ſolius gloria mortui ſunt. Cauſa utriſque Martyrii eadem, quòd & illi & hi Deum homini, Divina humanis, ſacra profanis, veri Dei gloriam falſorum Deorum honori prætulerunt, imò ejuratis falſis Diis, vel cultu Divino hominibus tributo, ſolius veri & æterni Dei honori litârunt. Neque aliud ferè diſcrimen, quàm quòd vero Deo, vero cultui alia veteres, alia novi perſecutores oppoſuerunt. Occiſi ſunt infiniti, quòd imaginum & idolorum cultum reſpuerunt. Quid in veteri Eccleſia uſitatius fuit? Occiſi novi, quòd ſpreto Deo Panaceo ſolum verum Deum adorârunt. Veteres, quòd falſis Numinibus procul habitis uni vero Deo omnem pietatem ſuam ſubmiſerunt. Certè Pontificius veterum Martyrum nemo fuit. Quis enim pro Miſſa, ſacrificio reali propitiatorio incruento: quis pro humanis traditionibus: quis pro aſſerta imperfectione, obſcuritate verbi Dei: quis pro humanis meritis propriæ juſtitiæ: quis pro

Veteris Eccleſiæ Martyres Eccleſia Reformata ſibi jure meritóque vindicat.

diſcrimen adiit? Quòd eadem noñulla ore profitentur novi perſecutores, quæ veteres Martyres confitebantur, cauſam illorum non juvat, quia comunem fidem aſſertionibus illis, quibus Papatus, quâ talis & à Chriſtiana Reformata religione differens conſtituitur, evertunt. Nos verò ita eandem veterum Martyrum fidem, quam coram perſecutoribus ſuis confeſſi ſunt, & ſanguine proprio denique obſignârunt, ſincerè confitemur, ut eandem dogmatibus cum illo ἀσυστάτοις nec labefactemus, nec concutiamus. Imò non alia ferè cum Papatu, quàm de mixtura veri & falſi, lucis & tenebrarum, juſtitiæ & injuſtitiæ, adeóque confeſſa veterum Martyrum fide illibata conſtanter cuſtodienda, contentio intercedit.

Eccleſiæ Reformatæ Epinicion, & ad eandem exhortatio.

LXXVI. Eſt igitur prorſus, cur de hac Martyrum noſtrorum tum veterum tum novorum, qui, ut Polycarpi olim ſibi hoc nomine gratulantis verbis utar, digni habiti ſunt λαβεῖν τὸ μέρος ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ, *qui acciperent portionem in calice Chriſti*, corona lætemur & exultemus in Domino. Habeat ſibi Mulier illa Purpurata tergeminam ſuam coronam, auro & lapillis interſtinctam & variegatam, hoc eſt, luto & terra ſuperbiat. Habeat quoque ſibi Aulæ ſuæ mancipia atque propudia, quibus Deus eſt venter & gloria ad ignominiam ipſorum, qui terreſtria curant, ſe autem hoſtes reapſe eſſe crucis Chriſti, & morum & dogmatum turpitudine, perſecutione inprimis fidelium demonſtrant. Dignum habeat illâ ſuâ patellâ poculóque abominationum pleno paterculum. Jactet ſe Mitris, & Pallis, & lituis, & crucibus, & cœteris id genus crepundiis, Pontificiæ dominationis & ſervitutis inſignibus. At nos ad hanc Martyrum noſtrorum nubem lucidiſſimam & coronam ſplendidiſſimam oculos attollamus, qui Chriſti veritatem ſuo ſanguine obſignârunt, nobiſque tam illuſtre Divinæ potentiæ monumentum, ſuæque patientiæ documentum reliquerunt, ut nulla unquam dies eorum famam obſcurare, nulla unquam ipſorum memoriam ex animis noſtris oblivio obliterare vel poſſit vel debeat. Denique ad exemplar hoc à Deo noſtro nobis in proximo collocatum animos noſtros componentes, caveamus omni ſtudio, ne gloriam hanc Eccleſiæ Chriſti ignaviâ noſtrâ obfuſcemus, nec in dedecus & ignominiam noſtram convertamus, afflictiones, quas Dei Sapientiæ nobis admetiri & hauriendas ſuo tempore propinare viſum fuerit, degeneri pectore detrectando; hoc reputantes ſeriò, non nobis tantùm, ſed Eccleſiæ toti, imò Deo ipſi glorioſa fore, quæcun-

que

quein hac mortalitate, ex vocationis noſtræ officio, pro nomine Chriſti ſuſtinuerimus.

Martyrium alterius generis, omnibus Chriſtianis commune. Cypriani verbis eximiis commendatur, & peroratur.

LXXVII. ' Cúmque, juxta celebre illud Hieronymi *ad Euſtoch.* dictum, *non ſolùm effuſio ſanguinis in confeſſione reputetur, ſed devota quoque mentis ſervitus immaculata quotidianum Martyrium ſit*, danda nobis, qui Dei beneficio alta pace fruimur hactenus, opera, ut ſi ad priùs illud, quod hactenus explicavimus, Martyrium Divina nos vocatio ſanctúmque arbitrium haud excitaverit, ſaltem poſterioris Martyrii, quod fidelibus omnibus commune eſt, palmam alacriter occupemus, reſiſtamus peccato *μέχρι αἵματος usque ad ſanguinem*, veterémque hominem crucifigamus. Quod communis Martyrii genus veterum Patrum, quàm meis verbis exponere malo. Sic autem S. Cyprianus lib. *de duplici Martyrio* de eo eximiè loquitur: *Jam tempus eſt, ut de altero Martyrii genere diſſeramus charitati tuæ, de quo etiam accuratiùs eſt diſputandum, quòd occultum ſit, & omnium temporum commune. Neque enim ſemper ſæviunt Nerones, Diocletiani, Decii ac Maximini. Nunquam tamen ceſſat Diabolus exercere Chriſti militiam profeſſos. Et fortaſſis erunt poſthac donante Chriſto tempora, quibus nulla tyrannorum perſecutiones affligent Eccleſiam. Nunquam tamen defutura ſunt certamina, nunquam Martyria, quibus homines pii glorificent Deum. Eccleſia quidem adhuc hoc in exilio militans peculiaribus gaudiis applaudit iis, qui in profeſſione nominis Jeſu animas ſuas fideliter depoſuerunt, & ad horum memorias magna cum alacritate concurritur. Sed cœleſte theatrum, Angelorum myriades, & juſtorum cum Chriſto regnantium innumerabilis populus applaudunt omnibus, qui ſinceram fidem & charitatem invictam, quam habent erga Dominum Jeſum, integritate & innocentia vitæ teſtificantur. Nec ſolùm profeſſione fidei, quæ juxta Paulum ore fit ad ſalutem, glorificatur Deus, verùm etiam confeſſione commiſſorum. Beatus Apoſtolus prædixit, nulli piè vivere volenti in Chriſto Jeſu defuturam perſecutionem. Si deeſt tyrannus, ſi tortor, ſi ſpoliator, non deerit concupiſcentia martyrii materiam quotidianam nobis exhibens. Poſtremò hæc ipſa mala, quæ ſecum defert vita Mortalium, quæque cum impiis communia ſunt, martyrii coronam nobis parabunt*:

rus ſit, quàm velit à juſtitia deflectere; huic prompta voluntas pro martyrio deputabitur. Deus enim non æſtimat quenquam ex eventu rerum, ſed ex affectu. Aureis hiſce verbis S.Cypriani concinunt illa Gregorii Homil.35.in Evangel. *Si enim adjuvante nos Domino virtutem pantientiæ ſervare contenderimus, & in pace Eccleſiæ vivimus: tamen Martyrii pulmam tenemus. Duo quippe ſunt Martyrum genera: unum in mente, aliud in mente ſimul & actione. Itaque eſſe Martyres poſſumus, etiamſi nullo perſecutionum ferro trucidemur. Mori quippe à perſequente, Martyrium in aperto opere eſt. Ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.* Et Iſidori Hiſpalenſis *lib.VII. Orig. cap.*11. illa: *Duo ſunt Martyrii genera, unum in aperto paſſione, alteram in occulto animi virtute. Nam multi hoſtis inſidias tolerantes, & cunctis carnalibus deſideriis reſiſtentes, per hoc, quòd ſe omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore martyres facti ſunt qui etiam ſi perſecutionis tempus exiſteret, martyres eſſe potuerunt.* Hactenus illi. Regi Martyrum invicto, & ipſi quoque fideli Martyri Jeſu Chriſto, qui paſſus eſt juſtus pro injuſtis, ſit laus, honor & gloria in Secula ſempiterna! Amen.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE